LÉGUÉ

A LA BIBLIOTHÈQUE DE LA FACULTÉ DE THÉOLOGIE

DE L'ÉGLISE LIBRE DU CANTON DE VAUD

PAR

Sam. CHAPPUIS, prof.

—

1870

Digitized by Google

Digitized by Google

FAMA
ANDREANA
REFLORESCENS,
SIVE
JACOBI ANDREÆ
WAIBLINGENSIS
Theol. Doctoris,

D'Apples
1206.

VITÆ,
FUNERIS,
SCRIPTORUM,
PEREGRINATIONUM,
ET PROGENIEI,
Recitatio,
curante
JOH. VALENTINO ANDREÆ
Nepote.

Anno Chriſti M. DC. XXX.

ARGENTORATI.
Excudebat JOANNES REPPIUS.

Digitized by Google

Inſcriptio Epitaphii, prope ſuggeſtum templi ſummi Tubingenſis, erecti.

IACOBUS ANDREÆ, WAIBLINGENSIS, D. THEOLOGUS. VIR IUDICII magni, ingenii dexterrimi. Pietatis & eruditionis eximiæ. Eloquentiæ admirandæ: qui ad Miniſterium Eccleſiaſticum Anno ætatis XVIII. legitimè vocatus. Eccleſiæ Chriſti concionibus & ſcriptis utiliſſimis totos XLVIII. Annos indefeſſò labore inſervivit. Antichriſti Romani & aliorum Hæreticorum impietatem & errores gladio Verbi Dei fortiter profligavit: Peregrinationes multas & longinquas vocatus à Piis Magiſtratibus reformandis Eccleſiis, ſedandis diſſenſionibus, & conſtituendæ piæ concordiæ impendit: Conſiliarius Illuſtriſs. Ducum VVürtemberg. Præpoſitus Eccleſiæ, & Cancellarius Academiæ Tubingenſis Annos XXVIII. fideliſſimus fuit. Placidiſſime in Chriſto obdormivit, & omnium piorum luctu hîc ſepultus eſt. Anno Ch. M.D.XC. cum vixiſſet Annos LXI. Menſes Oct. dies XIII.

Inſcriptio lapidis ſepulchralis propè altare ibidem.

Anno Domini 1590. Den 7. tag Januarij / ſtarb der Ehrwürdig Hochgelehrt / vnd vmb die Kirchen Gottes wolverdient Mañ / Herr Jacobus Andreæ / der H. Schrifft Doctor Fürſtl. Würt. Rath auch Probſt vnnd Cantzler bey der Kirchen vnnd hohen Schul allhie zu Tübingen / dem der Allmächtig Gott mit allen Chriſtgläubigen ein frölich Aufferſtehung verleyhen wolle. Amen.

URBIS LAUDATISSIMÆ

WAIBLINGÆ,

CONSVL SPECTATISSIME, SENATORES PRUDENTISSIMI, VIRI INTEGERRIMI.

NVllo ſeneſcentis famæ Andreanæ ſupremo conatu; nec inanis gloriolæ ullo pruritu; in orbis Chriſtiani proſceniũ redit, civis quondam veſter, Vir ſatis etiamnum Eccleſiæ Dei notus, & ab omni oſtentatione tota vita ſua alieniſſimus Jacobus Andreæ,

Theologus, cum paucis ævi noſtri comparandus: ſed redeunte velut in orbem cum ſeculo, Eccleſiæ facie, qua fuit olim rebus in arctis, fide; diſtractis, concordiæ ſtudio; conſtituendisve, dexteritate, & indefeſſo opera; denuo ſe poſteritati ut ſiſteret, & trepidationem noſtram, deſidiam, atque ſtuporem inclamaret. Nec hodiè primum deſideratus comparet, ſed poſtquam arena exceßit fortißimus pugil, cum nullis Eccleſiæ votis repeti ipſe poſſet; qua in ſcriptis ſupererat parte, ea hoſtibus ſæpè feliciter

oppo-

Digitized by Google

oppoſitus eſt, & rebus dubiis cōſultor adhibitus. Hinc magnus Wirtembergiæ Princeps Fridericus, *collectis in unum opus velut trophæum, omnibus Viri adoreis, reſtitutum Eccleſiæ voluit; & Theologorum ille primas,* Policarpus Leiſerus, *eo ſtudium ſuum liberaliter obtulit; neuter tamen, quod vel nimium diſperſus; vel in ſcriniis abditus; lateret, id obtinuit. Nunc demum, quod Eccleſiæ bono vertat, haud integer quidem, ſed in imagine prodit, à tribus magnæ fidei teſtibus* Jacobo Heerbrando,

Antonio Varenbülero & Luca Oſiandro, *Theologis ſpectatiſſimis productus: ſed & ſua ipſa ſimplici & ingenua recitatione, ad vivum delineatus; denique fortiter juxta, feliciterque patratorum, indice, qualis, quantusque apud ſuos deliteat conſpiciendus. Quo neutiquam jactare merita ſua, & exprobrare Eccleſiæ, ſatis in ipſum propitiæ; ſed offerre denuo opem, operamque ſuam, ſi cui uſus eſſe poſſint, poſterorum manibus voluiſſe, putandus eſt. Meis certe, poſt tot ſopitas ſuorum magis induſtrias,*

qui

Digitized by Google

qui hoc magna cura jamdudum egi, ne quæ tabulæ Andreanæ cimbæ, interirent, ſed ad rei Chriſtianæ quondam uſum, aſſeruarentur. Quicquid igitur olim editi, Eccleſia gremio ſuſcepit: quicquid non editi apud me ſanctè depoſitum eſt, id omne S. Theologiæ uſibus uno opere, *depromere, paratus ſum, nec impendio ulli, aut labori parcere. Niſi fortè diſpliceam, quod tamen vereri, quæ Viri in dirimendo, ſolertia; in explicando, perſpicuitas; in perſuadendo, facundia; in ſufferendo, patientia & conſtan-*

 tia

tia ſuit, minus jubeat; atque adeò oportunè huic ſeculo cō-pariturus, quod his, quam maximè indigeat, videri poßit.

Cæterum, ex omni hominum ordine, Vos primos ſalutare, Patriæ Andreanæ cuſtodes & curatores viſum eſt Viri ſpectatiſs. prudentiſs. & integerrimi, *ut ubi primum ſpiritum ſuum accepit; ubi ſacro fœderi inſitus eſt; ubi Chriſtianitatis incunabula egit; ibi etiam, tanquam ad* aram pietatis, *omnia vita ornamenta ſuæ, & militiæ ſacræ arma ſuſpenderet. Vrbs*

veſtra,

Digitized by Google

veſtra, & Gibellini nominis fama celebris; & Sueviæ olim principum domicilio, nobilitate; Tum multis præclaris civibus decora; per ſe hoc mereretur; utut ſortam tantundem laudis ab hoc cive accepiſſe, quantum dediſſe, nō invita fateatur: ſed quod in re tenui ac deſperata Divino auſpicio, hoc ingenium erexit, & ſubſidio fovit, is beneficiū omnis complexus eſt, nullo non officiorum & gratitudinis genere demerendus. Nam quantū Principis Ulrici clementiæ; Baltaſaris Gultlingii favori; Erhardi

Schnepſii *promotioni*; Alexandri Marcoleonis *inſtitutioni*; *tantum* Sebaſtiani Maderi *Conſulis tum veſtri, nutrimini deberi*, & *hoc* ſalutis Andreanæ quinqueviratum, *complere*, *imò ducere*, *hiſtoria ingenuè profitetur. Quod utinam in exemplum eat*, & *qua felici ſucceſſu*, *qua grata noſtra memoria* & *ingenua confeſſione plures excitet*, & *veſtræ gloriæ ſuccedaneos reddat. Cumque aliam præterea meriti Veſtri gratiam apud me non inveniam*, *ſaltem quod unum poſſum*, *in cives*, *quos*

mihi

Digitized by Google

mihi Deus & Eccleſia con-junxere, veſtros, Caſparum Scemannum, *pridem*; & Zachariam Greinſium, *jã, collegas meos, amico affectu, & fraterno amore indelebilem beneficii accepti ſenſum teſtabor.*

Supereſt, Vrbi veſtræ laudatiſſimæ precer, ut ſub Wolfgangi Uhr-mylii, *nobili cõductu*; & Heinrici Dauberi, *ſacrorum, pia*; *ac* Chriſtiani Tuosnitii *juſtitiæ ſolerti adminiſtratione*, Conſiliis, viribusque *veſtris, eo excreſcat, ut Patriæ noſtræ ornamentum*; *Princip.* Wir-

tem-

tembergic. oblectamentum; bonorum hoſpitium; & plurium Iac. Andreæ ſimilium, aut meliorum etiã civium, mater, & nutrix, *porrò dici atq; prædicari; deniq; in perenni Eccleſiaſtæ & Publicæ rei* Pace, *florere ad mundi usque terminos poßit. Valete. Dabam calend. Ianuar. An. Ch. M. DC. XXX.*

Veſtri decoris & honoris

Studioſiſſimus

M. Jo- Valentinus, Iohannis F.
Iacobi. N. Andreæ, Paſtor
& Superint. Calvenſis.

VITA

Digitized by Google

VITA
JACOBI ANDREÆ THEOL. DOCTORIS, AB IPSO AD ANNUM USQVE CHRISTI 1562.
magna fide & ingenuitate deſcripta.

JAcobus Andreæ D. natus eſt in Ducatu Wirtembergico Waiblingæ oppido, unde Gibelini nomen habet, Anno à Chriſti Nativitate 1528. die vigeſima quinta Martii, in quâ memoria Conceptionis Chriſti ſecundum carnem celebratur, parentibus piis & honeſtis, Patre, Jacobo Andreæ ex Micolau, in ditione Epiſcopi Eiſtettenſis oriundo; Cujus pater Ingolſtadii ſepultus eſt, relictis filiis & *D. Iacobi natalis.*

Digitized by Google

filiabus, qui adhuc partim cum Nepotibus magno numero in Micolau & Naſſenfels ſuperſtites ſunt. Quorum omnium familiæ nomen eſt Andreæ. Unde & Doctor Jacobus (quem Schmidelinum appellarunt, quod pater ipſius faber ferrarius fuerit) cognomen Andreæ habet, quam familiæ ſuæ & majorum nunquam puduit, ſicut malitioſè Pontificii quàmplurimi, inprimis turpiſſimus Apoſtata Staphylus calumniatus eſt. Mater ipſius Anna Weiſſköpfin/nata in Gundelfingen, civitate Palatinatus ſub ditione Philippi Ludovici Palatini Ducis Bavariæ, prope Lavingam. Quæ inde una cum ſorore Urſula ad cognatum Waiblingam in infantia propemodum deportata, Fabro ferrario nupſit primo marito, ex quo aliquot liberos concepit & peperit, qui & ipſi liberos aliquot adhuc ſuperſtites reliquerunt. Ex quorum numero eſt Michael Bock Eccleſiæ Haganoenſis ex matre Barbara, cum fratribus & ſororibus prognatus.

Parentes.

Poſt

Digitized by Google

Poſt primi mariti mortem, patri D. Jacobi, nupſit, qui peregrinationibus delectatus, in juvẽtute Bohemiam, Ungariam, Galliam & Hiſpaniam peragravit, & ſecundò ad D. Jacobum Compoſtellanum peregrinatus eſt. Quarum nationum omnium linguas quoque didicit, Bohemicã, Hungaricam, Gallicã, & Hiſpanicam. Is poſt mortem uxoris ſuæ Annæ ſolitudinem quærens in Manaſterio Bebenhauſen Anno 1566. die 1. Junii in Domino piè mortuus & ſepultus eſt. Ex ea quatuor liberos, filios tres JACOBUM, Georgium & Philippum, & filiam unam ſuſcepit. Filia in infantia mortua eſt; Georgius autem & Philippus, qui in Miniſterio Eccleſiaſtico mortuus eſt Giengæ, in civitate Imperiali, liberos quoque; Georgius filias duas; Philippus unam reliquerunt. Cũ adhuc in cunis eſſet infans, miſere à Sagis afflictus fuit, adeo, ut diu noctuque continuo vociferatu domum implens & nullam ſpem vitæ ſuæ parentibus relinquens, tandem ſingulari Dei gratia ſervatus ſit. Anno octavo vitæ aliquo- *Incunabula.*

ties in fluvio Ramnenſi, qui urbem Waiblingam alluit, periclitatus, etiam mirabiliter ſervatus fuit.

Prima literarũ elementa.

Anno 1534. poſtquam Ill. Princeps Udalricus Dux Wirtembergenſis Ducatum ſuum recuperavit, & Papatum abrogavit, parentes D. Jacobi filium ſuum primogenitum ad ſtudia literarum educari curaverunt. Cum autem tenuioris fortunæ eſſent, adeò ut propriis ſumptibus apud extraneos ipſum alere non poſſent, Anno 1539. cogitaverunt illum arti Mechanicæ mancipare, quo tempore commendatus eſt cuidam fabro lignario, civi Waiblingenſi, cui Philippus nomen erat.

Remotio à literis.

Reſtitutio.

Sebaſtiani Maderi beneficiũ.

Id poſtquam reſcivit optimus Vir Sebaſtianus Maderus, vir Conſularis, civis Waiblingenſis, patrem ipſius ad ſe vocavit, & cognoſcere voluit, quæ cauſa ſit, quod filium ſuum Jacobum à ſtudio literarum ad artem Mechanicam revocaret. Cui pater Jacobi Andreæ reſpondit, ſumptus deeſſe, quos ad juvanda filii ſtudia ſuppeditare non poſſet. Cum igitur eo tempore Ill. Princeps Udal-

Udalricus Dux Wirtembergicus ex redditibus Eccleſiaſticis Studioſos aliquot Tubingæ in uſum Eccleſiæ ali curaſſet, conſuluit optimus vir, ut pater quoque filio Stipendium peteret, cui etiam nomine Senatus interceſſorias literas impetravit ad eos ſcriptas, qui tum temporis curam Eccleſiaſticam & ſcholarum ſuſtinebant. Inter quos primarii erant Georgius ab Awe / Nobilis, Vicarius Ducis Udalrici, & D. D. Erhardus Schnepfius Eccleſiæ Stuttgardianæ paſtor.

Ad hos cum acceſſiſſet pater literis Senatus Waiblingenſis inſtructus, filius ante omnia examẽ ſubire cogitur, quod D. Erhardus Schnepfius, qui eo tempore nondum ad gradum Doctoratus aſpiraverat, ſuſcepit. Poſtquam verò vidit puerum 10. annorum plane rudem, & grammaticæ latinæ ignorantem, propoſuit illi breviſſimam ſententiam germanicè conceptam: Ich hab zwölff Thier daheimbd / latinè ex tempore reddendam, ubi admiranda patiẽtia erga puerum eſt uſus. Cum enim videret, *D. Erhardi Schnepfii favor.*

deret,

deret, puerum vix unum verbum latinè reddere poſſe, non piguit, illi omnia, longo tamen temporis intervallo, ſingulis verbis interpoſito, (quod cogitationibus pueri tribuebat) ſubiicere verba 1. Quid ſignificat Ich? tandem puer. Ego. 2. quid ſignificat, habe? diu meditatus puer reſpondit tandem; Habes 3. quid ſignificat zwölff/ puerum numerum latinum neſciens tandem vocem Schnepfii imitatus dixit: duodecim 4. Quid ſignificat: daheimbd/ puer cum diceret ſe neſcire, quærit Schnepfius, quid ſignificat, Hauß/ reſpondit longo intervallo præeunte Schnepfio puer, domus. 5. Quid ſignificat, Thier? quod etiam Schnepfius ſubjecerat; Animal. Quæ omnia cum juberet ad orationem integram exprimendam, conjungere, puer Jacobus tandem dixit: Ego habes domus duodecim animal. Etſi verò planè rudis eſſet puer, non tamen eum abiicere voluit D. Schnepfius, aut conſulere, ut ſtudia deſereret, ſed præſente Ill. Principis Vicario, patri pueri dixit: Culpa non eſt in puero, ex cujus facie ingenium

nium elucet, ſed in præceptore, qui officium ſuum non facit. Quapropter cõſilio communicato decreverunt, ut Senatus Waiblingenſis ex redditibus Eccleſiaſticis quas Dux Udalricus illis cõceſſerat, puero per anni ſpacium ſeptem florenos ad juvanda ipſius ſtudia conferrent, reliquum pater ſuppeditaret, ut Stuttgardiam miſſus puer in ſtudiis feliciter progredi poſſet. Literis igitur ad Senatum ſcriptis, Ludimoderator Waiblingenſis jubetur vocari & propter *negligentiã* graviter reprehendi. Quod poſtquam factũ eſt, à prætorio in ſcholam reverſus culpam à ſe transferre cupiens, qui nihil tamen docere poterat, de negligentia diſcipulorum conqueritur, & Jacobum Andreæ non modò verbis, ſed etiam verberibus & virga ſatis duriter caſtigavit, & ſic ex ſcholâ ſuâ dimiſit, cujus causâ prius in Senatum vocatus & correptus fuerat.

Subſidium

Primi præceptoris ſocordia.

Eodem anno circa feſtum Pentecoſtes pater filium Stuttgardiam de conſilio D. Schnepfii mittit, ad virum egregiè doctum, & ad educandos liberos in ſtu-

Præceptoris Alexãdri Marcoleonis induſtria.

ſtudio literarum ſingularibus donis & docendi dexteritate inſtructum, quem diſcipuli amarunt & coluerunt ſicut patrem, & ſimul etiam ſeveritatem ejus plurimùm metuerunt. Qui vix intra ſpacium ſemeſtris virgam in ſcholam deportari juſſit, laudibus, æmulatione, & ſeverioribus verbis pueritiam ad profectũ ſtudiorũ alliciens. Ubi exacto anno Jacob: Andreæ Grammaticæ latinæ præcepta mediocriter didicit, & Latinæ linguæ uſum cum ſermone adjunxit.

Quem cum D. Schnepfius eodem anno denuò examinavit in ædibus parochiæ Stuttgardianæ præſente præceptore M. Alexandro Marcoleone, Etſi eum non indignum judicaret, qui Tubingam mitteretur, prudenter tamen conſuluit, & ex re ſtudiorum ipſius fore exiſtimavit, ut per annum adhuc in ſcholâ triviali Stuttgardianâ ſub diſciplina & doctrina præceptoris detineretur. Cui parens obtemperavit, & reliquos ſumptus non invitus ſuppeditavit.

Quo completo, qui fuit Annus 1541. poſtquam denuò à Valentino Vannio exa-

Digitized by Google

examinatus eſſet,& præcepta Grammaticæ, græcæ & latinæ unà cum Regulis Dialecticæ & Rhetoricæ Phil.Mel.mediocriter addidiciſſet,cum annorum 12. eſſet,abſente D.Erhardo Schnepſio Tubingam mittitur, & Stipendiariis Ill. Principis Udalrici Ducis Wirtembergenſis in altera parte Cōtubernii, quod ſuperioribus annis, Relıſtæ, ut vocabatur,inhabitabant,conjungitur,quod factum eſt poſt feſtum Pentecoſtes.

Inter alumnos Principis receptus.

Circa tempus Autumnale, cum peſtis *Tubingæ* graſſari inciperet, & ſchola Hirſchoviam in Monaſterium translata eſſet, ipſe quoque cum condiſcipulis eò proficiſcitur; Ubi anno 1543. cum aliquibus aliis adoleſcentibus gradum primæ laureæ conſecutus eſt. Eodem anno, cum peſtis Tubingæ remiſiſſet, profeſſores Studii bonarum artium cū Juventute Studioſâ Tubingam revertuntur. A quo tempore cum M. Jacobo Braun, qui Magiſter & Præceptor Stipendiatis unà cum Dn. D. Hieronymo Gerhardo præfectus erat, converſatus fuit in ipſius hypocauſto. Ad quem cum

Baccalaureatum.

querelæ de aliorum Stipendiatorum vel negligentia vel diſſolutione vitæ & morum delatæ eſſent, in ſuſpicionem proditionis à condiſcipulis conjectus, quaſi talia ad Præceptorem deferret, & occulta odia & injurias ſuſtinere coactus fuit. Ut Tyrocinii patientiæ quaſi fundamentis jactis ſtatim à puero injurias & contumelias devorare cœperit, ad quas ſuſtinendas quaſi ab utero materno deſtinatus fuiſſet videatur.

Magiſterium. Anno 1545. cum Studioſis adoleſcentibus eruditis ætatis ſuæ anno 17. ſecundæ laureæ honores accepit, inter quos ſecundum locum obtinuit.

Poſtquam verò Erhardus Schnepfius Stuttgardiâ Tubingam vocatus, ut in Eccleſiâ paſtorem, in ſcholâ Theologum Profeſſorem ageret: Ejus non modo conciones diligenter audivit, & annotavit, & ad earum imitationem, quantum Natura & Dei dona permittebant, ſe compoſuit, ſed etiam ab eo tempore una cum Studio philoſophiæ lectiones Theologicas & Hebreæ linguæ conjunxit.

Studium Theologicũ & Hebræum.

An-

Anno 1546. Cum ſe popularibus quoque concionibus exercuiſſet, Stuttgardiam in Metropolim Ducatus Wirtembergenſis ad Diaconatum Eccleſiæ vocatur, ubi altero die feſti Paſchatis in ſummo templo & in maximâ frequentiâ populi ætatis ſuæ anno 18. primam concionem dedit. Quâ auditâ in curiam ad Conſiſtorium vocatus cum eſſet, eidem Diaconatus Eccleſiæ ſub paſtore Viro Reverendo & Doctiſſimo Valentino Vannio committitur. Collegas habuit Ivonem Heinzelmannum, Vitum N. & Caſparum Heldelinum, qui Lindavio ex ludo literario Stuttgardiam venerat. Hoc etiam anno conjugem duxit Annam, Joh. Entringeri civis Tubingenſis filiam honeſtiſſimã, cum qua ætatem ſumma concordia, & mutuo domeſticæ calamitatis ſolamine vixit.

Diaconus Stuttgardia.

Coniugiũ.

Incidit autem, cum aliquot ſeptimanis officium docendo faceret D. Jacobus, fama de ipſius ætate ad Ducem Udalricum perlata, eundem in arce quoque concionantem audire voluit. Habebat

Concio coram Vlrico Principe habita.

bebat autem ſecum in ſuo cōclavi Dux Udalricus Illu. Principes Bernhardum Marchionem Badenſem, & Georgium Comitem Wirtembergenſem patrem, cum primariis Conſiliariis. Concione abſolutâ cum Conſiliariis de ipſo collocutus dixit: *Vndecunque hic pullus veniat, certum eſt, quod Schnepfius eum excluſerit.* Judicii hujus cauſa fuit, quod D. Jacobus ſibi D. Schnepfium imitandum ſumpſerat, qui naturâ diſertus & popularis concionator fuit: Inprimis verò in movendis affectibus potens & ſuaviloquus. Eodem anno triſtiſſimum bellum incidit, quod Imperator Carolus V. contra duos principes Germaniæ Johannem Fridericum Ducem Saxoniæ Electorem & Philippum Landgravium Haſſiæ ſuſceperat, quod ille Epiſcopum Numbergenſem D. Julium Pflug Epiſcopatu ſuo vi pulſum reſtituere nollet, hic verò contra ſententiam Imperatoris & Cameræ Imperialis Comitatum CatzenElenbogen Comiti Naſſovienſi ad quem pertinebat, ademptum occupaverat.

Bellum Schmalcaldium.

Ne

Ne quid aliud novi ſuſpicarentur reliqui Principes, & Imperii ordines, qui fœdere conjuncti erant, quod Schmalcaldicum à civitate appellatum fuit, in quâ deliberatio de eo inſtituta fuit: Imper. Carolus V. literis ſcriptis hortatur omnes & ſingulos, ne ſe hoc bello involvant. Non enim Religionis cauſa ſuſceptum hoc bellum, ſed propter duos ſeditioſos Principes, qui mandatis Imperatoris & Cameræ Imperialis obedire recuſarent.

Landgravius verò Philippus aſtutè Religionis negotium ſuæ privatę cauſæ prætexens primùm Electoris Saxonici animum expugnavit, qui conjuncti deinceps etiam reliquos principes fœderis ſocios hortantur, ne ipſos deſerant, Bellum enim hoc impulſu Papæ duntaxat religionis cauſa ſuſceptum eſſe.

In contraria autem ſententia quidam, Principes & ordines Imperii exiſtentes etſi Religionis Confeſſione illis conjuncti erant, videl. Johannis & Albertus Marchiones Brandenburgenſes cũ Duce Saxoniæ Mauritio, & alii, Cæſaris

tamẽ partes in hoc bello ſecuti, Electori Saxoniæ Johanni Friderico & Landgravio Haſſiæ cæteriſque Principibus confœderatis ſeſe in hoc bello oppoſuerunt.

Cum igitur confœderati Principes & ipſorum ſocii contra Carolum V. infeliciter pugnaſſent; Imperator Ducatum Wirtembergicum occupat, quem Dux Udalricus Altam Wielam petens deſeruerat. Priusquam verò Metropolim Stuttgardiam occupant Hiſpani, irruptione facta in oppido Marpach, ubi & rapinis & libidinibus nefandis perpetratis ingentem terrorem omnibus incolis totius Ducatus Wirtembergenſis incuſſerunt, Stuttgardiam veniũt, quos propter incuſſum terrorem, & quod deſerti eſſent, Magiſtratus oppidanus arcere non poterat.

Stuttgardia occupata.

Solus hic ſubſiſtit.

Hoc terrore perculſi Collegæ D. Jacobi, ſimul omnes urbem quoque deſerunt, relicto Jacobo Andreæ, qui tum 20. annorum erat. Quod cum altero die reſciviſſet, ipſo enim inſalutato diſceſſerant, Magiſtratum oppidanum accedit,

Digitized by Google

dit, & illius voluntatem explorat, quid ſibi ab ipſo ſperandum ſit. Qui reſpondens ſe miſerum eſſe, & patrocinio ac defenſore indigere, quantum verò in ipſo, pollicetur, ſe illi affuuturum, ſi forte periclitaretur. Quô reſponſo accepto D. Jacobus etiam ſuam voluntatem declarat, ſe officium ſuum facturum, & una cum ipſo, ſi ita Domino videatur, periclitaturum, cujus uxor uterum gerés vehementer perturbata fuit.

Poſtquam ergo concionando, baptizando infantes, & conſolando ægrotos officium facere ſtudet ſolus, legatus Caroli V. quem Heroldum appellant, deditionem urbis petit. Ea de re dum Senatus urbis deliberat, civis quidam Stephanus Ducis Udalrici equeſtris curſor à legato Cæſareo petit, ut pro infante ſibi recens nato in baptiſmo ſpondeat. Quod ſe promptiſſimè facturum cum promiſiſſet, infans in templum allatus à D. Jacobo baptizatur, quem legatus Cæſareus ex Baptiſmo ſuſcepit. Quo confecto, idem Legatus D. Jacobum accedit, & ei ſex dimidios Bacos offert.

Quos

Quos cum ille recuſaret, quod arbitraretur vel ad puerperam vel ad obſtetricem pertinere, legatus ſiniſtra manu utrumque donum monſtrat, quod & puerperæ & obſtetrici oblaturus erat. Et inſuper addit: Ego, inquit, Domino Deo meo gratias ago, quod & viderim & audiverim te in fide ſanctæ Eccleſiæ Catholicæ baptizaſſe. Et quamprimùm ad Imperatorem venero, bonâ fide referam.

Cui D. Jacobus: Se aliter non poſſe baptizare, neque aliter quoque baptizatum eſſe ex toto hoc tempore, quo mutatio religionis ſuſcepta & Pontificii errores atque abuſus abrogati ſunt. Ad quæ legatus inquit: Certè apud Cæſarianos perſuaſiſſimum eſt, vos & fidem & religionem omnem prorſus abjeciſſe. Nulla eſſe apud vos Sacramenta, nullam venerationem Sanctorum. De qua re cupiat cum ipſo plura colloqui, ideoque rogare, ut ad prandium veniat in prætorio à Senatu paratum. Domum autem è templo cum reverſus eſſet D. Jacobus, uxorem gravidam invenit lachry-

Digitized by Google

chrymantem. Cauſam lachrymarum cum ex ipſa quæreret, reſpondit illi, quod turpiter repulſam paſſa eſſet in domo cujusdam civis Stuttgardiani. Qui prius D. Jacobo dixerat, ſi aliquod periculum immineat, ut ſupellectilem librorum in ipſius domum perferri curet. Id cum facere vellet uxor ipſius, eosdem libros, quos prima vice attulerat, reportare domum juſſa eſt, ſe enim & ſuos propter hos libros in maximum periculum vitæ & fortunarum incurrerere poſſe.

Quam D. Jacobus conſolatus eſt, & hortatus, ne ſit triſti vel abjecto animo, Deum enim in ira ſua miſericordiæ ſuæ memorem eſſe, narrans quæ in templo acciderant, cum legatus Cæſareus infantem ex baptiſmo ſuſcepit, à quo ad prandium vocatus ſit, & ſimul ſex dimidios Bacos offert ſibi ab eo donatos, quos loco ſymboli habeat, quod Dominus in vocatione ſuâ non ſit eos deſerturus.

Cum igitur conſolationem accepiſſet, & dolorem nonnihil mitigaſſet,

D. Ja-

Digitized by Google

D. Jacobus legatum in prætorio accedere cum vellet, occurrit illi Senatorii ordinis bonus vir, metuens ne quid adverſi illi à legato accideret, quærens quid velit. Reſpondit Jacobus Andreæ ſe à legato Cæſareo ad prandium vocatum, quem accedere cupiat, & ſimul ei ſermones exponit, quos in templo cõmutaverint, poſtquam infans Stephani Baptizatus. Quo audito, vehementer gaudebat, & D. Jacobum ad legatum Cæſareum adducit, qui cum Senatoribus in prætorio cõgregatis erat. Is cum D. Jacobum ingreſſum conſpexiſſet, ſtatim aſſurgens & eidem obviam occurrens, humaniter eum ſalutat & ſuſcipit. Et quoniam mora aliqua trahebatur, priusquam cibus apponeretur, de variis rebus cum D Jacobo collocutus eſt. Inter alia verò apertè dicebat. Hanc Cæſaris & Cæſarianorum voluntatem eſſe, ſi ex illorum ſententia inſtitutum ſucceſſerit, eos Religionem Lutheranorum extincturos.

Et quoniam Hiſpani in urbem ſint venturi, conſulere ſe optimo animo, ut

ſi quos

ſi quos habeat libros D. Lutheri, D. Brẽtii, *Philip.* Melanth. Pomerani, Urbani Regii, (hos enim nominatim commemorabat,) & ſimilium Doctorum, ut eosdem abſcondat, & in illorum locum reponat Thomam Scotum, & ſimiles, ipſum enim non teneri, ut illis rationẽ fidei reddere cogatur. Id ſi fecerit, ſe ei ſatisfacturum pro omnibus quæ Hiſpani ſint ei ablaturi.

Cum igitur Metropolis in deditionem Caroli V. perveniſſet, quod, ut dictum eſt, ab omnibus deſerti eſſent, D. Jacobus ordinarias Conciones omnes dedit, donec unus ex Collegis Ivo, reverſus eſt ad vocationem ſuam, poſtquã audierat Hiſpanos nihil durius in D. Jacobum ſtatuiſſe.

Magno autem cum periculo vitæ ipſius ſæpè conjunctum fuit, cum ille cõcionaretur, Hiſpani in templo bombardis, pulvere & igne, quem circumferebant inſtructi obambulabant, non ſine ingenti clamore & ſtrepitu. Sicut populus quoque in eo metu erat, fore, ut quandoque ipſum in Templo occiderent.

Digitized by Google

derent. Sed Dominus & corda & animos illorum conſtrinxerat, ut eum lædere non poſſent.

Accidit autem aliâ vice, ut civis quidam Stuttgardianus Capitaneum Cæſareum, qui arcem occupaverat, rogaret, ut ipſius infantem ex baptiſmo ſuſciperet. Qui ſtipatus 30. circiter Hiſpanis veſperi in Templum venerat interprete uſus, qui ex D. Jacobo quærebat, An etiam Chriſmate uteretur. Cui cum reſponderet D. Jacobus & peteret, ſibi ex ſcriptis Apoſtolicis demonſtrari, ubi Chriſtus uſum Chriſmatis in Baptiſmo inſtituiſſet & præcepiſſet; Capitaneus per interpretem reſpondit, ſe non Diſputandi cauſa adeſſe: Si Chriſmate non uteretur D. Jacobus, ſibi per conſcientiam non licere huic Actui intereſſe. Ad quæ ſtatim D. Jacobus dixit: Rectè facere Capitaneum, quod nolit conſcientiam gravari, ſe idem facere, & quia Chriſma à Chriſto inſtitutum non ſit, ſe etiam eo non uti. Quo audito Capitaneus aperto capite & genibus flexis ſicut reliqui quoque Hiſpani in Arcem redeunt. In-

Digitized by Google

Interea dum alii Compatres quæruntur, Nox intempeſta ingruit, ut opus fuerit Candelis, ne infans non baptizatus domum reportaretur. Quo tempore D. Jacobus non in levi periculo verſabatur; Sed per gratiam Dei quoque evenit, ne à quoquam læderetur.

Nec ſilentio prætereundum eſt illud quoque, quod eodem tempore accidit; Cum D. Jacobus ſolus eſſet, & officium cottidiè cõcionando faceret, certo quodam die carnifex Cunradus nomine, bonus vir ipſum in Templo acceſſit, & conſolatus eſt, ac ſtrenuè hortatus, ut intrepidè ſuum officium faceret, ſe enim nullas negligere conciones, & cottidiè ſecum geſtare gladium acutiſſimum, quo ſuppliciũ ſumat de Capite damnatis: Eoque ſe uno ictu 10. Hiſpanos è medio tollere poſſe.

Similiter quoque & illud memoria dignum eſt. Cum certo quodam die à prandio D. Jacobus concionem in ſummo Templo eſſet habiturus, Hiſpanus quidam illum acceſſit, magnâ intemperie ab eodem quærens; Ubi eſt Deus veſter?

ſter? Cui D. Jacobus reſpondit; in cœlis. Contra Hiſpanus; cur non habeti imagines in templo veſtro. Reſpondi D. Jacobus; quaſi verò Deus ſit imago, aut in imaginibus. Hiſpànus contra: Certè oportebat vos habere imagines. Reſpondit D. Jacobus. Si adeſſent, non abolerem, ſed quia abſunt, non judico reſtituendas eſſe, quibus facilè carere poſſumus. Quum autem illi ſtatim docendum eſſet, dixit Hiſpano, ut poſt cōcionem veniret, ſe cum illo plura ea de re collocuturum.

Vix igitur dimidia parte Concionis abſoluta magno numero Hiſpani confertim Templum ingrediuntur. Quos cum vidiſſet D. Jacobus, non ſolum ipſe verum etiam auditores ejus omnes vehemẽter perturbati fuerunt, quod metuerent D. Jacobo ab illis ingens periculum creatum iri. D. Jacobus igitur inter concionandum ſecum ratiocinatus ſe aufugere non poſſe, confiſus vocatione ſua in locum ſe recipit, quem Sacriſtiam appellant, ubi prior Hiſpanus illum allocutus fuerat.

Is

Is denuò accedens, ait D Jacobo. Ecce foris in choro eſt vir Eruditus, qui tecum de religione colloqui cupit. Egreſſus D. Jacobus cum videret quamplurimos Hiſpanos congregatos, animus ejus nonnihil perculſus erat metuens periculum, quod ob oculos verſabatur. Aſtans autem quidam Hiſpanus facie verecundus, aſpectu & ſermone gravis, eum ſalutabat, & ut propius ad illum accederet, rogabat.

Hoc cum viderent cives, qui in templo erant, magno numero quoque in choro congregabantur, ut viderent colloquii exitum. Idem etiam à fœmineo ſexu factum, ut nemo egrederetur.

Tandem Hiſpanus ille D. Jacobo dixit: Quæ cauſa eſt, quod nõ poteſtis ferre dominium Papæ? Reſpondit D. Jacobus propter errores & Idolatricos cultus, quos in Eccleſiam invexit, & pertinaciter ac crudeliter tuetur. Hiſpanus: An verò non agere ſcitis Papam caput Eccleſiæ Dei in Terris? D. Jacobus, Nequaquam. Hiſp. Cur? D. Jac. Quia unicum eſt Eccleſiæ caput in cœlo &

lo & in terra, Chriſtus videlicet. Quod ſi Eccleſia duo capita haberet, monſtrū eſſet. Hiſp. Certè in terris opus eſt Eccleſiæ capite ad conſervandum conſenſum in Eccleſia & diſciplinam conſervandam. D. Jacobus, non opus eſſe inde patet, quòd Chriſtus parem poteſtatem omnibus Apoſtolis dederit, neque unus ſuper alios ſibi dominium ſumpſerat, quemadmodū poſtea totus orbis in 4. ſummos Patriarchatus diviſus eſt, Hieroſolymitanum, Alexandrinum, Antiochenum & Romanum. Quorum nullus alteri, vel alterius Eccleſiis poſt Apoſtolorum tempora multorum annorū decurſu dominatus eſt. Et Chriſtus ipſe ſuam præſentiam in Terris omnibus & ſingulis fidelibus promiſit, cum inquit: Ego ſum vobiſcum *Omnibus diebus* usq; ad conſummationem ſeculi. Hiſp. ſed qui ſunt errores Papæ, propter quos Dominium ejus recuſatis? D. Jacobus præcipuos enumeravit. De Juſtificatione. De bonis operibus. De pœnitentia. De ſacramentis. De invocatione ſanctorum. De purgatorio. De peregrinationi-

Digitized by Google



Digitized by Google

tionibus ad ſtatuas mortuorum & ſimiles. In quibus omnibus & ſingulis quid deſideraret, accuratè quæſivit Hiſpanus. Cum igitur pro ætate & ſua tenuitate ipſi reſponderet: non odioſè quicquam oppoſuit Hiſpanus, ſed caput aperiens, quod linteo propter vulnus acceptum ligatum erat, humaniſſimè D. Jacobo dixit: Ignoſce mihi, quæſo, quod talia ex te quæſiverim. Ego enim & alii longè aliter de vobis & doctrina veſtra perſuaſi ſumus. Gaudeo me talia ex te audiviſſe. Exitum colloquii cum vidiſſent, quotquot utriusque ſexus auditores in templo fuerunt, ipſi quoque domum redeunt.

Et cum D. Jacobus in platea ab Hiſpanis compellaretur, inſignem fidem ipſi præſtiterunt cives. Quoties enim ejusmodi congreſſus viderunt, ſtatim accurrebant, diligenter vigilantes, ne violentas manus D. Jacobo inferrent Hiſpani, neq; ab eo diſcedebant, donec ab Hiſpanis deſereretur.

Eccleſiæ autem Stuttgardianæ inſervivit in Diaconatu D. Jacobus, donec,

 publi-

Interim introducitur. publicato INTERIM, quod vocabant, hoc eſt Cæſarea declaratione de Religione usq; ad Concilium, Eccleſiar. & *Vnde dimittitur.* Scholarum Miniſtri fidi & ſinceri, propter metum Cæſaris ab officio remoti: Abbates cum Monachis Papiſticis reſtituti, & Eccleſiis paſſim Sacrificuli, lupi, homines leviſſimi ac turpiſſimi præficerentur. Quibus paſſim colligendis Præfectus Bretigheimenſis ſtrenuam operam navavit. Quin verò numero pauci ſacrificuli ejus opera collecti erant. Huic adjunctus erat D. Johannes Offtertingenſis, Decanus Eccleſiæ Stuttgardianæ cum Valentino Vannio & Georgio Schnizero, qui animos paſtorum & Miniſtrorum Eccleſiæ ſolicitarunt; Num juxta Declarationem Imperialem Eccleſiis ſuis inſervire cuperent. Iisdem cum quoque Nobilis Vir Joannes Theodoricus à Plieningen pius Conſiliarius adhiberetur, poſtquam vidit, quo res evaderet, & ad detrimentum Eccleſiarum Ducatus Wirtembergenſis cederet, pedem revocans, nequaquam

quam

quam amplius huic deliberationi & his actionibus intereſſe voluit.

Quum igitur paſſim Eccleſiis Sacrificuli præfecti eſſent, deliberatum eſt, ut his adjungerentur, quos Prædicatores Collegiorum appellabant, Miniſtri, qui puritatem doctrinæ ſine refutatione errorum Põtificiorum ſimpliciter traderent. Die man genennt hat INTERIMS Prediger / donec Concilium celebraretur, in quo controverſia religionis inter Papiſtas & Lutheranos tolleretur.

Eo tempore, quamplurimi pii Miniſtri ab officio ſuo dimiſſi, partim extra Ducatum Wirtembergicum ſe contulerunt, inter quos etiam fuit Clariſſimus vir D. D. Erhardus Schnepfius, qui aliquandiu hoſpitio exceptus à Nobili Eberhardo à Gemmingen in Crichgovia, Bürgi habetur, deinceps verò Jenæ ſimul & Eccleſiæ & Scholæ ſervivit. Ubi etiam in Domino obdormivit & ſepultus eſt. Partim verò in Ducatu permanentes cum uxoribus & liberis ex ædibus parochialibus pulſi privatim vixe-

Digitized by Google

runt; donec Anno 1550. Dux Chriſtophorus mortuo Duce Udalrico patri in adminiſtratione ducatus ſuccederet.

D. Jacobus verò, cum in ſingulari gratia principis Udalrici eſſet, Anno 48. poſt INTERIM publicatum, & alios miniſtros ab officio dimiſſos, ab ipſo cũ uxore & duobus liberis filiabus Suſanna & Judith Tubingam mittitur, accepto mandatu, ut ibi ſubſiſteret, donec quid porrò ipſum facere velit, ei renunciaverit.

Suſtẽtatur Tubingæ.

Sumptus quoque ſuppeditabantur neceſſarii, quibus deficientibus ut ſe in Aulam conferret, & Celſ. ipſius ſignificaret, juſſus erat, ſpe facta minimè dubia, illi cum ſuis quod ad honeſtam ſuſtentationem attinet, nihil defuturum. Quum igitur aliquandiu cũ familia ibi fuiſſet, & ſumptus deficere videbantur, in Aulam ſe contulit Ducis Udalrici, qui eo tempore cum Curia Stuttgardiâ inde tranſlata Auraci erat. Et cum delectis viris Conſiliario, & paſtore Tettingenſi, qui eo tempore negotiis Eccleſiaſticis præfecti erant, expoſuiſſet, quo lo-

co

co & ipſius, & in quas anguſtias redactæ eſſent, ſimul petens, promiſſione clemétiſſima à Duce Udalrico facta, cujus voluntate & juſſu ſe Tubingam contulerit, ut neceſſaria ſibi ſuppeditarentur, alias enim Tubingæ diutius perſeverare non poſſe, ſe coactum iri ad ſuſtentandam familiam ſe aliò extra fines agri Wirtembergici conferre. Quod ipſi tamen duplici nomine integrum non ſit, quod in Stipendio liberalitate Ducis Udalrici educatus, & ejusdem juſſu Tubingam venerit. Illi contra ſe nullam ſpem mihi facere poſſe, de ſumptibus, quos petierat ſubminiſtrandos. Quapropter ei liberum eſſe, quocunque velit ad quærendam conditionem Eccleſiaſticam conferre. Eaque de re Ducem Udalricum mihi minimè indignaturũ.

Hoc reſponſum acceptum cum per M. Gaſparum Gretterum Concionatorẽ Aulicũ ad primarios Ducis Udalrici Conſiliarios Balthaſarum à Güttlingen, & D. Joannem Knoderum perlatum eſſet, ſupplici ſcripto per D. Jacobum Andreæ cõprehẽſum, à Dn. Knodero Viro

graviſſimo & integerrimo præfectus Bietigheimenſis D. Jacobo præſente vocatur, cum quo graviſſimè expoſtulat, quâ fronte, ignorante Duce Udalrico me dimittere, & ſumptus ab ejus Celſ promiſſos negare auſus ſit? Is cum ſe excuſare & purgare vellet, ira percitus D. Knoderus addidit: Si per hunc ſtaret, Ducatum Wirtembergicum jam pridem Sacrificulis repletum, qui Cauſam dederat, quod multi boni & eruditi viri ad extraneos ſe contulerint nunquam redituri. Seque omnia ad Ducem Udalricum relaturum. D. Jacobo v. dicebat: Tu cras me domum accedas pecuniam & lætum nuncium accepturus, Er ſoll guten beſcheid vnd Geld empfahen. Quod altero die quoq; factum eſt. Ubi aliquid humani paſſus D. Jacobus, cum illi doleret, quod prius ab illis dimiſſus, & ſumptus negati eſſent, non ſine voluptate carnali duriſſimam reprehenſionem audivit, quâ alter eorum à D. Knodero ipſius causâ tàm acerbè correptus fuerat. In quo etiam ſe peccaſſe agnovit. Deo verò poſtea gratias

immortales egit, quod in patria ſibi clementia Ducis Udalrici remanere licuerit.

Quum igitur ſumptibus novis acceptis ovans ad uxorem & liberos Tubingam reverſus eſſet, & quid de eo ſtatuere vellet Dux Udalricus, expectaret, à leproſis extra urbem habitantibus per uxorem ſuam rogatus cum eſſet, ut interdum ab eodem concionem habere poſſent, diebus Dominicis ſingulis aliquot, cũ uxore ſolus ad illos egreditur, & clauſa janua Templi, ne cuiquam in urbe aut prætereuntibus innoteſceret, conciones habuit.

Conciones habet leproſis.

Accidit autem die quadam Dominico, cum hoc & Studioſis & civibus patefactum eſſet, D. Jacobo ignorante, magno numero ad ejus concionem audiẽdam egreſſi ſunt. Et cum Templum nimis anguſtum eos non caperet, partim ante fores templi, partim ultra torrentem, qui præterfluit in prato conſidentes concionem audiverunt.

In urbem cum magno numero auditores confeſtim reverterentur, non exiguum

gnum odium D. Jacobo apud Pontificios creavit, præſertim qui in ſchola docebant, & aptè Papiſticam Religionem profitebantur. Inter quos præcipui erant Dn. D. Balthaſarus Köfelin Profeſſor Theologus, qui ſacras literas ſub Imperio Ducis Udalrici poſt repurgationem Eccleſiarum factam profeſſus eſt. Dn. D. Johannes Sichardus, D. Gaſpar Volland, D. Gebhardus Braſtbergerus, Juris Profeſſores, D. Michaël Ruckerus Medicinæ Profeſſor. M. Matthias Garbitius Illyricus, qui ſuperiorum autoritate quaſi diluvio ad illorum partes ſectandas pertractus eſt.

Nequaquam vero Doct. Jacobus ſe metu odii aut periculi à pio inſtituto deterreri paſſus eſt. Sed procedit nulla odii aut periculi ratione habita ſingulis diebus Dominicis & feriatis leproſis conciones dare, quem euntem & redeũtem viri Eruditi ac pii cum Studioſa Juventute comitati ſunt.

Et in Hoſpitali. Idem poſtea factum eſt in ab eodem Hoſpitali ubi cum præcipuè ægrotantium,

tium cauſa concionaretur, & magno numero cives quoque accurrerent, adeò ut locus auditores omnes capere nō poſſet, Templum D. Jacobi occupat, & populum ad ſanam pœnitentiam vocat. *Ac ad D. Iacobum.*

Accidit autem, quod eodem tempore Reverendiſſimus & Clariſſimus Vir D. Joannes Brentius ſenior Theologus celeberrimus Tubingam venit. Et cum hoſpitio ac convivio à Dn. D. Leonhardo Fuchſio veteri ac ſincero amico exceptus eſſet, D. Jacobus quoque ad prandium ab eodem D. Fuchſio compatre vocatus eſt; Ubi primum Brentium vidit & audivit, qui prius nominis celebritate duntaxat illi notus erat. Quem Auracum ad Ducem Udalricum proficiſcentem cum comitatus eſſet, unà cū Theologis, qui eo tempore aderant, D. D. Jacobo perſuaſit, ut die Dominico Auraci in Templo oppidi concionaretur. Quod cum factum eſſet, D. Jacobus Tubingam remittitur, eique Catechiſtæ officium in ſummo Templo ad D. Georgiū & D. Martinū cōmittitur. *Fit catechiſta in ſummo templo.*

Ubi ſuggeſtum aſcendere illi non licebat, ſed ex inferiore ſede in medio templi collocata Capita Catechiſmi explicabat. Eodem enim tempore paſſim in pagis pii paſtores reſtituebantur, qui in Ducatu permanſerant. Sed propter metum Caroli V. non paſtores ſed Catechiſtæ appellabantur, quibus exigua pars reddituum parochialium cedebat. Quapropter injuria temporis utcunq; contenti erant; prius enim nihil prorſus accipiebant, ſed quibus poſſent rationibus tanquam privati familiam alere cogebantur, & vivere ex his, quæ prius comparſerant, cum adhuc in officio eſſent. Poſtea cum ſub Imperio Ducis Chriſtophori melior aura aſpiraret, & paſſim Sacrificuli, quacunque fieri poterat ratione dimittebantur, paſtoribus ex Catechiſtis factis aucta quidem ſunt Stipendia, ſed minimè conceſſi priores reditus quos ante publicatum INTERIM & factam dimiſſionem ſinguli paſtores habebant. Quo nomine præfectus Bietigheimenſis apud plerosque peſſimè audiebat, ut qui hujus conſilii

Digitized by Google

ſilii autor eſſet, penes quem poſt principem, quod ad Negotia Eccleſiaſtica ſumma autoritas erat. Etſi enim optimus princeps Dux Chriſtophorus ſapienter conſtitueret, ut cum politicis etiam Eccleſiaſticæ perſonæ videl. Præpoſitus & parochus Stuttgardianus cum duobus concionatoribus Eccleſiaſticis id curarent, Arte tamen remoti Theologi, præfectus Bietigheimenſis cũ paucis politicis, quod ad reditus & Stipendia Miniſtrorum attinet, ad ſe rapiebãt, relicta Theologis curâ de doctrina & Moribus Paſtorum & Eccleſiaſticorum cognoſcendis & gubernandis.

Tandem ad Diaconatum promotus D. Jacobus, & viro optimo Johanni Meſchio, qui prædicatoré agebat Interimiſticum, Collega modico Stipendio adjunctus, non modo ex conſueto ſuggeſtu docebat, ſed ad Sacramentorũ quoque publicam adminiſtrationem denuò admittitur. Quo tempore ſatis dura ipſius conditio erat, quod illi labores incumberent penè innumerabiles. Interdum enim una ſeptimana, ſex, ſeptem, *Ac poſtea Diaconus.*

octo vel novem conciones dandæ erãt. Baptizandi ab eodem infantes omnes recens nati, & ægrotantes viſitandi.

Privatas lectiones habet.

Rogatus ab amicis & aliis bonis viris non modo convictores domi ſuæ aluit, ſed iisdem quoque lectiones privatas dedit ſingulis diebus, & publicas cũ iisdem repetiit. A quibus ſingulis pro Menſa, pro habitatione, pro diſciplina & doctrina privata annuatim accepit florenos viginti octo.

Imponitur ei ab Eſslingenſi venefica.

Paulò verò ante obitum Udalrici Ducis, revelantur præſtigiæ Virginis Eſslingenſis, quarum mater Saga Architextrix cum Satana fuit. Cujus fama non modò per Germaniam univerſam, ſed etiam; Galliam, Italiam, Hiſpaniam & alia vicina regna pervaſerat. Quæ omnibus perſuaſerat in ventre ipſius contineri horribilem vivam beſtiam, à qua miſerè cruciaretur. Tumorem autem ventris arte ſimulabat, fictitio & pellibus ovium fabrefacto ac colorato ventre virgini impoſito. Cujus magnitudinem cum plerique admirarẽtur, & ſubinde creſcere diſcebatur,

ex

ex variis & longinquis locis, tanquam ad ſtatuas mortuorum apud Papiſtas ingens concurſus hominum ad illam fiebat. Unde quæſtum faciebat mater ipſi non contemnendum. Nemo enim, qui eam viſitaverat, præſertim lautioris fortunæ homines, Principes, Comites, Barones, Nobiles utriusq; ſexus liberaliter dona offerebant ad declarandā συμπάθειαν erga miſeram, ut videbatur & afflictam Virginem. Ac ne quid eorum intermitteret Senatus urbis, quod illius officii erat, magno numero celeberrimi Medici Eslingę conveniunt, ut de morbo vel miraculo, cujusmodi eſſet, ſentētias conferrent, diſſidentibus ſententiis re infecta omnes diſceſſerūt. Inter quos etiam erant D. D. Leonhardus Fuchſius & Dn. D. Michaël Ruckerus, quorum ille tanquam miraculum propugnabat, Hic verò conjecturam Medicam ſecutus fraudem & deceptionem ſubeſſe, quamplurimis dixerat, cui tamen faſcinatis omnibus fides non habita eſt. Creſcente autem fama & concurſu hominum rumor ſpargitur, beſtiam in ipſius

Digitized by Google

ventre inſtar tubæ militaris ſonare, & præſentibus hominibus in altum ferebatur fictitius venter, quem motum beſtiæ tribuebant, cujus autor Satan erat, qui hoc modo hominibus illuſit.

Id verò cum ignotum eſſet, ſed putaretur ab omnibus nihil fictitium eſſe, paſſim in Eccleſiis pro illa preces ad Dominum fiebant. Quod cum diutius ferre non poſſet Deus, tandem fraude & dolo detectis virgo cum matre captivæ in carcerem & cuſtodiam ducuntur. Id poſtquam in ipſo die Simonis & Judæ D. Jacobo innotuiſſet, qui & ipſe non modò populum ad preces hortabatur, ſed à Conſiliaribus ſecretioribus aulicis Ducis Udalrici in mandatis habebat, ut eandem ſæpius accederet, eamq; verbo Domini conſolaretur, juſſus à Conſiliariis Ducis Udalrici, ut veritatē rei exploraret, ſtatim Eslingam petit, & eventu rei cognito in ſtuporem convertitur.

Tubingam reverſus cum Juſſibus plurimorum expoſitus eſſet; præſertim verò eorum, qui Miſſam Pontificiā abjecta

cta & abnegata Evangelii doctrina ad promovendam & augendam gratiam Cæſaris Caroli V. frequentes audiebãt: Eorundem Conſiliariorum juſſu totum negotium pro concione in templo Eccleſiæ publicè proponit, videlicet, Non fuiſſe ipſorum preces inanes pro virgine Eſslingæ hactenus effuſas, quæ detexerint dolum & fraudem, qua Diabolus omnes faſcinaverat; quæ Deus diutius ferre & nomen ſuum diutius profanari non ſit paſſus. Virginem autem illam ſymbolum & figuram fuiſſe Cæſarei INTERIM, quod Virgineam præ ſe ferebat faciem, ſed Diaboli ſcortum eſſet, ſub cujus facie abominationem Pontificiam arte in Eccleſias Reformatas reducere conetur. Quemadmodum autem hujus Virginis dolus detectus ſit: ſic minimè dubitandum eſſe, Deum quoque patefacturum artes pontificiorum malas, quibus oppreſſionem Evangelii meditentur. His auditis quidam ex Doctoribus magna ira perciti & vehementer indignabundi ex Templo feſtinantes & tumultuantes egrediuntur, dete-

deteſtantes D. Jacobi, quam ipſi appellabant nequitiam, qui tàm facilè & offendiculum mitigare, & ſe à juſta reprehēſione expedire hac oratione potuerit; quod tamen omnib. bonis probabatur.

Etſi enim alii poſt captivitatem Virginis ad tegendum ſuum errorum affirmabant, ſe nunquam crediſſe, rem ſeriam agi, D. Jacobus tamen ingenuè fatebatur, ſe etiam poſt factam manifeſtationem credere non potuiſſe, donec in rem præſentem veniſſet.

Eodem anno Dux Udalricus ſexto die Menſis Novembris Tubingæ in arce intra horam quintam & ſextam matutinam moritur. Cui Dux Chriſtophorus filius in regimine ſuccedit. Qui eo tempore Calbæ erat, propter dubium eventum litis Mompelgarto evocatus, quæ Duci Udalrico cum Rege Ferdinando erat, quem Rex criminis feloniæ coram fratre Carolo V. & ordinibus Imperii Auguſtæ Vindelicorum accuſabat. Quâ clementiâ autem Dux Udalricus D. Jacobum complectebatur, eâdem ipſum quoque Dux Chriſtopho-

ſtophorus proſequebatur. Quod mox teſtatum ferit. Cum enim D. Jacobus à Conſiliariis Ducis Udalrici mandatum accepiſſet, cui Tubingæ ultimam concionem dederat, ut in Arce in proximo conclavi expectaret, ſi fortè à Duce Udalrici vocaretur, qui graviſſimè laborabat, quāprimùm hoc Duci Chriſtophoro innotuit, clementer eodem die, quo Ducis Udalrici exequiæ celebrabantur, eum allocutus eſt, eique omnem gratiam & clementiam promiſit. Quam deinceps reipſa quoque toto Imperii ſui tempore uſque ad extremum vitæ diem ei declaravit. Cum igitur eo tempore D. Jacobus Diaconum Eccleſiæ Tubingenſis ageret, & Dux Chriſtophorus de idoneis profeſſoribus ſacrarum literarum ſollicitus eſſet, D. Balthaſaro Köfelino (qui unus totius Facultatis Theologicæ onus ſuſtinebat, & Cæſareum INTERIM approbabat, & ad Pontificiam Miſſam maximo cum Eccleſiæ offendiculo Tubingæ denuò introductam unà cum aliis quamplurimis Doctoribus & Profeſſoribus

ribus accedebat.) Martinus Frechtus Licentiatus, Theologus Profeſſor adjungitur. Quem Carolus V. cum aliis Eccleſiæ Ulmenſis ſedis miniſtris captivum aliquandiu in caſtro Wirtembergico Kircheim, UNA CATENA ligatos detinuerat. Quâ occaſione cum laboribus Miniſterii Eccleſiaſtici D. Jacobus lectiones quoque Theologicas conjunxit. Et cum judicio Conſiſtorii Eccleſiaſtici Eccleſiæ Vahingenſi paſtor decretus eſſet, & literæ præſentationis, quas vocant, ad Magnum Curiæ Magiſtrum Balthaſarum à Gultlingen virum ſapiẽtiſſimum & graviſſimũ perlatæ eſſent, ut pro muneris & officii ſui autoritate ſubſcriptione confirmaret, dilaceratas Secretario reddit. Conſilio ergo & juſſu Conſiſtorialium cũ D Jacobus ad eundem Curiæ Magiſtrũ accederet, & quæ cauſa hujus indignationis eſſet, quæreret, Magiſter Curiæ Indignationem ſevero vultu ſimulans reſpõdit, An ignoret quæ ejus cauſa eſſet. Cui D. Jacobus reſpondiſſet, ſibi prorſus ignotum, ſeq; ſibi nullius rei conſcientia, quâ tantam indi-

Lectio Theologica iniuncta.

indignationem promeruiſſet. Severa oratione illũ allocutus Curiæ Magiſter, inquit. Si cupis fieri ein Dorffpfaff/ hęc conditio tibi hoc tempore ſuſcipienda eſſet. Verum id meo conſilio nunquam fiet. Novi enim aliud Ducis Chriſtophori (qui tũ venatione ſe oblectabat) de te judicium eſſe, cujus ſententiam expectabis.

Altero igitur die ab eodem Magiſtro Curiæ vocatus D. Jacobus audit Ducis Chriſtophori voluntatem eſſe, ne cogitet Tubinga diſcedere, donec Doctoratus Inſignia conſecutus eſſet. Quum autem de rerum ſuarum & familiaris tenuitate atque inopia conquereretur D. Jacobus, qui totos ſumptus ferre non poſſet, nec titulus hic honoris majorem Eruditionem ipſi collaturus eſſet, Curiæ Magiſter addit: De ſumptibus ipſum minimè ſollicitum eſſe debere. Ducem namque Chriſtophorum liberalitatem & gratiam ſuá erga ipſum in hoc quoq; declaraturum.

Huic voluntati Ducis Chriſtophori cum D. Jacobus ſatisfacere conaretur,

mon

Digitized by Google

non uno labore involvitur. Cum enim aliquandiu ſolus Diaconatu fungeretur, infinitæ moleſtiæ ei devorandæ erant. Omnes enim infantes eo tempore in urbe natos baptizavit, ægrotos omnes ſolus viſitavit, & præter Conciones ordinarias etiam funebres omnes ſolus dabat, quæ ſepenumero unâ setimana ſex, ſeptem, octo & novem ſimul omnes habendæ erant.

Alebat præterea domi ſuæ, rogatus ab amicis, convictores, quibus ſingulis diebus lectionem cùm repetitione tribuebat. Quorum ſinguli pro menſa, habitatione, lectione, repetitione & diſciplina numerabant annuatim florenos viginti octo.

Convictores & diſcipuli.

Quorum diſcipulorũ pleriq; ad magnas dignitates aſpiraverunt. D. D. Nicolaus Stadman Cancellarius Brandẽburgicus, Frater ipſius Johannes Archigrammateus Nördlingenſis D. D. Wernherus Seuter, Advocatus in Republ. Auguſtanâ; Jacobus Rhellinger Auguſtanus Conſiliarius Electoris Palatini Rheni; Conſtantinus conſi-

Digitized by Google

liatius Badenſis; Leonhardus Trunck Archigrammateus Waiblingenſis &c. Ad hæc omnia accedebat, quod curſoria lectione poſt Diſputationem de Juſtificatione propoſitam, omnes Prophetæ Minores publicè ab eo explicandi erant. Quo continuo labore ingenium ſuum plurimum defatigabat, quem tamen animi alacritas & juventus, per gratiam Dei ſuperabat.

His omnibus peractis, cum ſecundum ſtatuta Collegii Theologici ad cõſequendos honores Doctoratus nihil amplius obſtaret, competitores autem deeſſent, per quos ſumptus minui poterant, qui eo tempore longè majores fiebant: Interim hæc occaſio minuendi ſumptus ſeſe offerebat, dum præfectus Major Martinus à Degenfeld cũ Senatu oppidano Duci Chriſtophoro ſupplicabant, ut Eccleſiæ Goppingenſi paſtor & Superintendens præficeretur. Quorũ precibus permotus Chriſtophorus conſenſit eâ lege, ut competitores quãprimum habiturus eſſet Doct. Jacobus publi-

Fit Paſtor & Superintendens Geppingenſis.

publicum teſtimonium Doctrinæ à ſuis Præceptoribus, quod Doctoratum appellant acciperet.

Adhibetur diiudicationi cõtroverſ. Oſiandrinæ.

Accidit autem, ut eodem tempore controverſia inter Clariſſimum Virum, Andream Oſiandrum Regiomontanæ Academiæ Profeſſoré & Collegas ejus De Juſtificatione hominis peccatoris coram Deo incideret. Cujus dijudicationem cum Dux Boruſſiæ Princeps Albertus Marchio Brandenburgenſis à Theologis Wirtébergicis peteret, quosdam Theologos Dux Chriſtophorus Tubingam ad ſe vocavit, inter quos D. Jacobus quoque erat.

In eo negotio cũ verſaretur, promotio Candidatorum quorundam in tribus ſuperioribus facultatibus ſuſcipitur. Quibus cum ſe de ſententia & voluntate Ducis Chriſtophori conjunxiſſet D. Jacobus, unà cum illis An. 1553. 19. Aprilis, Anno ætatis ſuæ vigeſimo quinto in Doctorem promovetur. Sumptus autem nomine Ducis Chriſtophori ex ærario Eccleſiaſtico per Præfectũ Bietigheimenſem (qui D. Jacobum ca-

Doctoratus.

Digitized by Google

me & angue pejus oderat) numerantur floreni viginti quinque. Cætera de ſuo D. Jacobus erogare cogebatur.

Ex hoc conventu domum rediens publico Teſtimonio ornatus D. Jacobus, cum aliquandiu Specialis Inſpectio vicinarum Eccleſiarum illi demandata eſſet, in Generalem Superintendentem eligitur.

Fit Generalis.

Et cũ Ludovicus Comes Oettingenſis Senioris Ludovici Comitis filius cum fratribus patri in hæreditate ejus partis Comitatus ſuccederet, quæ illi poſt reconciliationem cum Cæſare Carolo V. factam debebatur, aliquoties Göppinga D. Jacobum ad ſe in caſtrum Alerheim, quippè Nördlingam evocavit. Cum enim pater cum Filio Ludovico in bello Schmalkaldico, quod ſic appellabãt, ſe principibus conjunxiſſet, qui Carolo V. ſe opponebant, Imperatore victoriam obtinente dimidiam partem Oettingenſis inclyti, quam pater prius poſſederat, duobus filiis Friderico & Wolffgango tradidit, quod adhuc Pontificiã Religionem profiterentur; Inter quos,

Reformatio Oettingenſis.

Fri-

Fridericus inprimis ſe impiè adverſus pios parentes geſſit. Cum enim in exilio verſarentur, quibus Dux Udalricus Hoſpitium Calvæ conceſſerat: Fridericus matri perturbatiſſimæ inſolenter & impiè Religionem exprobravit, cujus cauſa omnibus bonis exuta ſit. Eam ut dontibus illiniat, nunciari juſſit, ut famam & indigentiam pellat. Subditum verò quendam, quod patrem pernoctãtem hoſpitio exceperit, capite plecti mandavit.

Poſtquam ergò patri ſucceſſit Ludovicus filius, qui maximus natu inter reliquos fratres, Carolum, Wilhelmum, & Ottonem erat, ex Palatinatu ſuperiore, Cui Dux Otto Heinricus tum temporis præerat, M. Bartholomæum Wolfart, Superintendentem Neoburgenſem, ex Marchionatu Brandenburgenſi Onolzbachio, M. Georgium Kargium; Ex Ducatu Wirtembergico D. Jacobũ, conſentientibus principibus harũ provinciarum evocavit, ad abrogandum Papatum, quem Fratres Wolffgangus & Fridericus parentibus in exilio verſantibus

tibus

Digitized by Google

tibus introduxerant, abrogarent, & verum Dei cultum cum in Eccleſiis tum etiam in Monaſteriis inſtaurarent.

Dederat autem Dux Wirtembergenſis optimus & piiſſimus Chriſtophorus peculiari ſignatum Scheda, Si Comes Ludovicus cogitaret Eccleſiaſtica bona Monaſteriorum inprimis ad ſe pertrahere, & in ſuum uſum conferre, D. Jacobus nulli deliberationi interſit, ſed ſe ſtatim domum recipiat. Quæ ſcheda literis D Chriſtophori ad D. Jacobũ ſcriptis incluſa Comiti Ludovico exhibita eſt per Cancellarium ſeniorem Wilhelmum N. additâ graviſſimâ commonefactione, ne manus ſuas profanatione bonorum Eccleſiaſticorum pollueret. Ejus, qua ratione memor fuerit Comes Ludovicus & poſteritas ejus, conſcientiæ ipſorum teſtes ſunt. Nullo enim neque divino neq; humano jure ſuas conſcientias ſalvare poſſunt, qui Eccleſiæ bona Deo ſemel dicata in ſuos privatos uſus cõferunt, ſive Magiſtratus ſive ſubditi fuerint. Quod D. Jacobus omnibus in locis, in quibus Eccleſiarum Refor-

Digitized by Google

matio illi concredita eſſet, diligenter & ſeverè ſemper monuit.

Dici autem non poteſt, quanta ruditas & ignorantia ſacrarum literarũ paſſim in ſacrificulis deprehenſa ſit, quos ad Pontificiam Religionem propagandam fratres Eccleſiis Comitatus paſſim præfecerant.

Cujus rei indignitate inprimis motus ſenior Ludovicus Comes, cum Aulam Ducis Udalrici ſequeretur, & propter deliberationes INTERIM Imperialis cauſa inſtitutas cũ M Gaſpar Greterus vir Doctiſſ. Cõcionator Aulicus Stuttgardiæ detineretur, D. Jacobus vero qui eo tempore Diaconus Eccleſiæ Stuttgardianæ erat, ejus vices Böblingæ & Bebenhuſii concionibus in Aula habendis suppleret, eidem dixit; Utinam duos meos filios Wolfgangum & Fridericum in primo balneo curaſſem ſuffocari; quâ ratione melius illorum æternæ ſaluti conſultum fuiſſet.

Inprimis verò doluit optimo Comiti, quod tot millia Animarum ex ſubditis ſuis propter impietatem horũ duorum

rum filiorum Comitum in tantum periculum animarum ſuarum adducta eſſent. Quæ res illi miſeriam exilii vehementer auxit, Cujus conſideratione propriæ ſuæ miſeriæ propemodum oblitus erat.

Cum igitur deliberatio de Reformatione Eccleſiarum & Monaſteriorum piè ſuſcipienda feliciter proceſſiſſet, D. Jacobus à Comite Ludovico filio, defuncto patre; ſæpè in Comitatum vocatus eſt, ubi per omnia eadem ratio Conſilii Eccleſiaſtici, Viſitationum Eccleſiarum & ſcholarum ſemeſtrium, Monaſteriorum quoque & Synodorum inſtituta eſt, quæ in Ducatu Wirtembergico ſub initium Imperii Ducis Chriſtophori conſtituta fuit.

Ad Synodos ergo, quoties in Comitatum vocatus eſt, vel in caſtrum Alerheim, vel Horburgum, aut in Monaſterium Zimmern propè Nördlingam ſitum, ex conſcientia pro Eccleſiæ ſalute ſuam ſententiam dixit, & eò elaboravit, ut inprimis puritas doctrinæ cœleſtis in Eccleſiis comitatus proponatur, con-

ſenſus in ea conſervetur, & diſciplina Evangelio digna inſtituatur & propagetur.

Anno Domini 1556. incidit quoque Eccleſiarum Comitatus Helffenſteinēſis Reformatio, ad quam inſtituendam D. Jacobus per Udalricum Comitem ab Helffenſtein in Wiſenſtaig vocatus eſt, cum Eccleſiæ Göppingenſis adhuc paſtor eſſet.

Etſi verò fratrem habebat Sebaſtianum Comitem ab Helfenſtein, qui inprimis hoc opus quoque urgebat, impedimenta tamen non levia obiiciebantur, quibus Satan hoc pium inſtitutum infringere conabatur. Frater n. Georgius, Comes, cujus ſumma in aulâ Cæſaris Ferdinandi erat gratia, & qui pontificiam Religionem pertinaciter defendebant, unà cum matre, & conjuge, Comitis Udalrici, filia, N. Comitis à Montfort, pro virili ſua obſtabant, & utrumq; Comitem Sebaſtianū & Udalricum ab inſtituto revocare ſtudebant.

Adhæc acceſſit Collegium Sacrificulorum in oppido Wiſenſteig, cujus annui

annui redditus Comitum redditus annuos ſuperare creduntur. Qui opera, auxilio,& autoritate Cardinalis Auguſtani Ottonis Truckſeſs, ſe magna vi opponebant.

Quæ cauſa fuit, quod D. Iacobus ad Reformationem vocatus primam concionem non in Templo, quod ſacrificuli ſibi vendicabant, ſed in aula arcis ſub dio frequenti populo Doctrinæ Evangelii ſitienti in ſcala conſiſtens loco eminentiori, ut à populo conſpici poſſet, dare cogeretur. Quòd poſtea quoque aliquoties factum eſt. Quem unà cum Comite Vdalrico & frequenti populo, uxor ejus cum Gynecæo ex feneſtra in aream proſpiciens ſicut Michol David Regem coram arca Domini ludentem impiè irriſit. Cum autem juxta Templum Sacrificulorum Sacellum quoq; extructum eſſet, donec negotium cum Sacrificulis tranſigeretur, Comes cum ſubditis Evangelii auditoribus hoc occupavit. Id quoniam nimis anguſtum erat, ut tantam multitudinem capere non poſſet, tandem ipſum templum in-

vitis ſacrificulis occupat. In quo deinceps non modò D. Jacobus, ſed omnes ejus ſucceſſores M. Leonhartus Cullmannus, Doctor Laurentius & M. Jacobus Dachtlerus docuerant.

Ingens autem erat zelus Comitis Udalrici, cujus cor, cũ Idolatriam Pontificiam execraretur, non conſulto, nec expectato D. Jacobi reditu, quum aliorum negotiorũ cauſa aliquot ſeptimanis abeſſet, Imagines omnes & Altaria deſtrui curavit. Quo facto cõjux ipſius majore furore cõtra doctrinã Evangelii accenſa fuit. Cujus aſpectus, ſicut faciei quoque ipſius, lividus & plenus odii Satanico cõtra D. Jacobũ fuit, Quẽ ex voluntate Comitis Vdalrici mariti porrectâ manu ſalutare, & in menſa quoque contra voluntatem ſuam ferre cogebatur.

Reformatio Badenſis. An. 1556. Ill. princeps Carolus, Marchio Badenſis Eccleſiarum & cultus divini in provinciis ſibi ſubjectis piã emẽdationem atq; correctionẽ diu ante meditatus, ſuſcipit. Ad quam perficiendam ex Thuringia Theologos evocavit D. D. Maximilianũ Mörlinum Eccleſiæ Cobur-

burgenſis paſtorem, & M. Joh. Stoſſelinũ, quos Dux Saxoniæ Joh. Fridericus, qui nunc in 19. an. à Cæſare & ordinib. Imperii captivus Neoſtadii tenetur, miſerat. Quibus adjũcti erant M. Michaël Dillerus, Concionator Aulicus Electoris Palatini Ottonis Heinrici, & D. Jac. per Marchioné Carol. petitus & à Duce Wirtembergico Chriſtophoro miſſus.

Quæ deliberatio eò difficilior erat, quod Theologi congregati non per omnia conſentire videbantur; priusquã enim D. Jacobus advenerat, & huic deliberationi adhiberetur, D. Maximilianus & Stoſſelinus Anathematiſmos cõcinnaverant, in quibus non modo Pontificios, Zvvinglianos, Anabaptiſticos errores damnaverant, ſed alios quoque viros de Eccleſia Dei optimè meritos plurimorum errorum reos agebant, inter quos Brentius quoq; non poſtremus erat. Qué de Juſtificatione; de Baptiſmo; de Cœnâ Dñi, & de conſenſu Chriſti ad inferos nõ rectè ſentire contendebant. Idq; jam magnâ ex parte Dñis politicis Cõſiliariis perſuaſerant, quos Marchio

Carolus huic deliberationi quoque adhibebat, videl. D. Martinum Amelium Cancellarium, Dn. D. Johannem Sechelium, Conſiliarium, & Dn. D. Georgium Rentium Medicum. Poſtquam ergo D. Jacobus advenerat, & in Conſilio à Theologis Thüringiacis ſalutatus eſſet, M. Stöſſelinus quaſi per præteritionem rationem laboris ſui D. Jacobo reddere volens, quid ipſo abſente ad redimendum tempus egiſſet, breviter exponit. Quod videl. Auguſtanam Confeſſioné perlegerint, & qui errores jam inde ab illa Confeſſione Anno 1530. Cæſari Carolo V. oblata in Eccleſias ejusdem Confeſſionis irrepſerint, narrat. Quorum métionem in præfatione Ordinationis Eccleſiaſticæ faciendam céſebant, ut omnes intelligerent, has Eccleſias ab illis erroribus & fanaticis opinionibus, ut appellabat, toto pectore abhorrere, quo peracto ſe in inſtituta deliberatione etiam ad reliqua accedere velle, quæ ſupereſſent, capita emendationis pertractanda.

Cujus ſermonem interpellans D. Jacobus:

cobus: Subſiſte parumper, Doctiſs. D. Magiſter, inquit, Eſt enim quod & ego pro meâ conſcientiâ addam, præſertim, quod ad Anathematiſmos attinet præfationi veſtro judicio inſerendos, in quibus per omnia vobiſcum conſentire non poſſum, niſi meliora edoctus fuero.

Ut enim de omnibus aliis nihil dicã, ſaltem de erroribus iis vobiſcum familiariter, amicè, & fraternè diſſeram, quos D. Brentio viro Optimo & de Eccleſiâ Dei optimè meritò tribuitis: A quo hoſterno die tanquam ſincero Eccleſiæ noſtri temporis Doctore diſceſſi. Eundem & hodierno die errorum condemnare, nequaquam mihi faciendum exiſtimo, niſi planius me doceatis.

Tandem quærens, quid in Doctrinâ ipſius de Juſtificatione fidei reprehenderent, quod Anathematiſmum mereretur, Stöſſelinus Oſiandriſtam illum fuiſſe affirmabat. Cui D. Jacobus contrà: quænam doctrina Oſiandri fuiſſet, ſibi exponi petebat, M. Stöſſelinus, reſpondit: Oſiandrum docuiſſe, hominẽ

juſtificari *Hoc eſt Remiſsionem* peccatorū conſequi non propter obedientiā Chriſti, ſed propter eſſentialem Dei juſtitiam inhabitantem, quam doctrinam Brentius probaverit. Quod cum D. Jacobus conſtanter negaret, nec apicē in ſcriptis ejus demonſtrari poſſe dicebat, quo id cōfirmarent: res ad longiorem collationem deducta eſt, & à D Jacobo demonſtratum; hunc nequaquam Oſiandri errorem fuiſſe, ſed in omnibus ſuis ſcriptis nullo excepto, docuiſſe, hominem remiſſionem peccatorum conſequi & abſolvi à peccatis ſuis, non propter eſſentialem inhabitantem juſtitiam, ſed propter ſolam paſſionem, ſanguinem, mortem & obedientiam Domini noſtri Jeſu Chriſti Deo patri præſtitam. Ideoque ipſos Oſiandri doctrinam non rectè intelligere, & novum controverſiæ ſtatum fingere. Docuiſſe autem Oſiandrum, Hominem, qui per ſolam obedientiam Chriſti jam à peccatis ſuis abſolutus ſit & propitiatorium debeat, juſtificari, *Hoc eſt reipſa juſtum fieri* per inhabitantē Eſſentialem juſtitiam Dei,

quæ

Digitized by Google

quæ ſit Deus ipſe in nobis habitans; quod ipſum quoque verum eſt. Non enim niſi ſolus Deus in nobis habitans nos reconciliatos expurgando reliquas peccatorũ nos reipſa meliores facit, ut non modo peccatum nobis nõ imputetur, ſed prorſus tollatur, quod in hâc vitâ incipiat fieri, ſed in altero ſeculo perficiatur. Dupliciter autem Oſiandrũ erraſſe, primum, quod ſignificatione vocabuli JUSTIFICATIONIS abuſus ſit, quo ſcriptura in hoc argumenti genere utatur pro abſolvere ab injuſtitia, ſed pronũciare juſtũ, ſicut Eſ. 5. & Prov. 17. videre licet. Væ vobis, qui juſtificatis impium pro munerib. i. e. abſolvitis eũ à pœna impietatis. Itẽ prov. 17. qui juſtificat impium, & cõdemnat juſtum, uterque abominabilis eſt coram Deo.

Deinde, quod Teſtimonia Scripturæ ſacræ, quæ loquuntur de abſolutione ab injuſtitia propter obedientiam Chriſti, ad ſanctificationem retulerit, quæ non per imputationem obedientiæ Chriſti, ſed per DEUM inhabitantem etiam reipſa incipimus, meliores fieri,

magisque juſtus, de qua juſtitia in Apocalypſi dicitur. Qui juſtus eſt, juſtificetur adhuc. Quorum utrumq; errorem D. Brentius, una cum Collegis in ſua cenſura apertè damnaverit; ideoque injuſtè hoc nomine accuſari.

Ad errorem alterum de Baptiſmo objectum; ubi Brentius diſputat, ſi quis baptizandus interrogetur, An credat in Deum Unum, patrem Creatorem Filium, Redemptorem, & Sp. S. Sanctificatorem, & hoc nomine velit baptizari, & Miniſter Eccleſiæ aqua aſpergat, an verè baptizatus ſit? Nequaquam voluiſſe illum, ut omittatur nomen patris, Filii & Sp. Sancti, ſed de tempore tantum & modo diſſerit, ut omnes intelligant, quid verè ſit baptizari in nomine Patris, Filii & Sp. Sancti.

Eadem planè ratio quoq; erat de tertia controverſia, videl. de repetitione verborum Cœnæ Domini. Quando ſemel recitata fuerit in ſolenni admonitione an eorundem repetitio ſit neceſſaria, cum Chriſtus non aliquoties repetiverit, ſed ſemel dixerit, Cujus Eccleſia

ſolen-

ſolenni illa recitatione admonetur, Nō enim recitationi noſtræ tanquam Magicæ incantationi, ſed quod ſemel hoc à Chriſto factum & præceptum ſit, vis Sacramento hæc tribuitur. Cujus Eccleſia neceſſariò admonenda, ideoque verborum Teſtamēti Chriſti recitationem quoque neceſſariam eſſe in hoc ſolenni actu Brentius ſedulò & diligenter monuerat, juxta illud Apoſtoli: Calix benedictionis CUI BENEDICIMUS (non tantùm Chriſtus benedixit) nonne eſt communicatio ſanguinis Chriſti?

Ultimò, quod ad doctrinam Brentii de Deſcenſu Chriſti ad inferos attinet, eum non aliter in Catecheſi ipſius explicatum quam à D. Luthero in explicatione Pſalmi 16. factum ſit, ubi Lutherus ſimiliter fecerit. Quæ cauſa ſit, quod in primitiva Eccleſia Articulus de Deſcenſu Chriſti ad inferos in quibusdam Symbolis non legatur.

Quibus auditis, cum nonnihil æquiores Brentio facti, eaque res per Conſiliarios politicos ad Marchionem Carolum delata fuiſſet, Anathematiſmi hi

ſuſpenduntur, quos præfationi inſeri volebant Theologi Thuringiaci. Quemadmodum & de Exorciſmo, ob quem inciderat acris contentio, quem Thuringiaci Theologi Ordinationi Eccleſiaſticæ Badenſi inſerere conabantur. Quibus D. Jacobus & Michaël Dillerus ſe opponebant.

Poſtquã igitur in deliberatione propoſitâ omnia pertractata ſunt, & deliberata ſcripto comprehendenda eſſent, D. Jacobo injungitur, ut hunc laborem in ſe recipiat. Vnde factũ eſt, ut judicio etiã Ill. Principis & Conſiliariorum ejus interveniente, decretum ſit, Eccleſiam teneram commemoratione tot diverſiſſimarum opinionum ſtatim ab initio emendationis cultus divini non offendẽdam aut perturbandam eſſe. Sed Confeſſionem piam conſtituendam, quæ omnibus illis perverſis opinionibus reipſa contradicat, & verbo Domini per omnia conſentanea ſit.

In Ritibus externis hoc quoq; ſpectãdum, ut hæc correctio Eccleſiarũ Marchionatus Badenſis vicinarum Eccleſia-

rum

rum ordinationibus, quãtum fieri poſſit, conformis ſit. Quæ cum exorciſmi formam omittant, qualis in Saxonia uſitata eſt, noluit Marchio Carolus, in cujus arbitrio repoſitum negotium erat, tanquam adiaphoron, ut in ſuas Eccleſias introducatur. Cũ nihil aliud ſit, quã precatio, ut infans baptizandus ex poteſtate Satanæ liberetur, quæ exhortationi ſolenni in Baptiſmi adminiſtratione conſuetæ inſerta ſit.

Emendatione igitur Doctrinæ, cultus & Ceremoniarum, & quæ ad gubernationem Eccleſiarum neceſſaria ſunt, ſcripto comprehenſis, & ab Ill. Principe Carolo per omnia approbatis; Viſitatio Eccleſiarum maturo Conſilio in inferiore Marchionatu per Theologos congregatos inſtituitur, quibus Politici quoque adjuncti erant; Et quos idoneos ad docendum, & non manifeſtis ſceleribus pollutus Sacrificulos paſſim invenerant, præeunte accurato examine, cũ ſe & doctrinæ puriori & ordinationi Eccleſiaſticæ ſubjicerent, ab officio non remoti ſunt.

Ac-

Digitized by Google

Periculum ex ſubmerſione.

Accidit autem, cum in hac Eccleſiarum Viſitatione animi gratia & urbis videndæ cauſa Spiram excurrerent, in vitæ periculum inciderunt non leve. Curru enim vecti ſimul omnes cum D. Sechelio, Juriſconſulto in lacu, quos circa Spiram quamplurimos propter exundationem Rheni fluminis frequẽtes habet, propemodum ſimul omnes propter incuriam aurigæ in aquà ſuffocati ſunt. Quos tamen Dn. omnes ſalvos & incolumes conſervavit. Et quoniam omnium veſtes madebant, niſi omnium riſui ſeſe exponere voluiſſent, cum æſtus ſolis eo die maximus eſſet, tamdiu conſederunt, donec exiccarentur. Ubi non ſine gemitu adeoque vix ſine lachrymis ſuas merces D. Sechelius explicabat ſimiliter madenter, Acta videl. Judicio Cameræ Imperialis in cauſa graviſſima proponenda, ut pariter quoque exiccarentur.

Quâ fortunâ D. Jacobus admonitus, cum ſequentibus annis quamplurimæ Legationes illi ſubeundæ eſſent, rarò ſibi perſuaderi paſſus eſt, extra Vocatio-

nem

nem animi & voluptatis cauſa breviſſimum quoq; iter ſuſcipere. Nihil enim illis negotii ſpiræ erat, cum non ad illius ſed Badenſium ecclesiarum emendationem ablegati eſſent.

Quod alterum quoque periculum majus confirmavit, in quòd imprudens quoq; Badæ incurrit, quod non ad Carolum ſed Philibertum Marchionem pertinebat. Eò enim ut proficiſcerentur Theologi cum Politicis, D. Sechelius autor & hortator illis erat. Quò cũ perveniſſent, cœnatis idem perſuaſerat, ut ad ſudorem abſtergendum lavarent; Accidit autem, ut propter calorem plus æquo majorem, quem per Canalem immiſerant, D. Jacobus in balneo concideret, & in lectum deportaretur; de cujus vita D. Joachimus Bartenſchlag Medicus vocatus parum ſibi pollicebatur. Ex quo periculo etiam per gratiam Dei evaſit.

Morbus ſubitus.

Emendatione ecclesiarum in Marchionatus inferiore parte feliciter confecta, ſubitò per literas D. Jacobo Göppingâ nunciatur, ſi uxorem chariſſimã tabe

Tabes Coniugis.

tabe confectam & recens ex Thermis domum reverſam videre vivam cupiat, ſtatim ſe ad iter accingat. Qui nulla interpoſita mora, dimiſſione impetrata, nocte intempeſta iter ingreditur Phorcemiæ, & citiſſimo curſu ad eam properat. Etſi verò dubia ſpes vitæ ipſius erat, precibus tamen & mariti & liberorum aliorumque piorum hominum præter omnium expectationem & ſpem propemodum ſingulari miraculo conſervata eſt. Quinq; enim Doctores clariſſimos & artis Medicæ peritos cum in conſilium adhibuiſſet, & in rem præſentem adduxiſſet, ſimul omnes de vita ipſius deſperarunt, & quæcunque peteret, illi nequaquam neganda dicerent, quod nulla ſpes vitæ ipſius ſupereſſe videbatur, quâ tabe prorſus adeoque conſumpta erat, ut brachium propè thoracem digito indice inflexo ad dimidiam partem pollicis, uno complexu totum brachium contineretur, ut nihil præter oſſa, venas, nervos & cutem ſupereſſet.

Viſitatio Eccl. Helfenſtein.

Quod cum D. Jacobus videret, & eodem tempore ad Comitem Udalricum

ab

ab Helfenſtein vocaretur, perturbatus ſummè propter periculum vitæ, in quo verſabatur uxor, equo inſidens inter pagos Grübingem & Wiſenſtein ardentes ad Dominum preces fundit, ut Dominus ipſius & liberorum ejus miſertus, quibus propter frequentes peregrinationes pater ratione diſciplinæ cottidianæ difficulter præeſſe poſſit, ejus valetudinem inſtaurare, & dies vitæ prorogare velit. Tertiò demum die reverſus, cum inveniſſet uxorem meliusculè valere, quæſivit, quando melius habere cœpiſſet, Reipſa deprehendit, uxore ipſius ſanctè atteſtante, eadem horâ, quâ ardentibus votis Maritus pro ipſa apud Dominum intercedere cœperat, morbum nonnihil remiſiſſe. A quo tempore de die in diem convaleſcere cœpit, donec priſtinam valetudinem per gratiam Dei recuperavit.

Eodem anno 56. à Senatu Civitatis Imperialis Rotenburgum ad Tuberam vocatus eſt D. Jacobus. Cùm enim quàm plurimis paſtores in agro haberent, non modò diſſimilibus ritibus ſinguli pro *Compoſitio Rotemburgo-Tuberana.*

arbi-

arbitrio in Eccleſiis ſuis utebantur, ſed in eo quoque metu verſaretur Magiſtratus ne pernicioſa certaminum diſcrimina inter illos exorirentur: Utriq; malo conveniens remedium adhibere cogitabant. Quapropter Confeſſionem de Doctrina cœleſti verbo DOMINI per omnia conſentientem repetunt, & certos ritus præſcribunt, quibus non modò in urbe, verum etiam in agro omnes paſtores conformi ratione poſthac uterentur. Quo labore D. Jacobus ad ſex fermè ſeptimanas occupatus fuit.

Comitatur Princ. Chriſtoferum ad Comitia Ratiſbonam.

Priusquam verò ſe per omnia expediret, à Duce Chriſtophoro literis manu propria ſignatis domum revocatur, ut unà cum Celſ. ipſius Ratisbonam ad Comitia deſcenderet, quæ menſe Januario Anni 57. celebrabantur.

Etſi verò Senatus ipſum ægre dimiſit, quia tamen pauca reſtabant, quæ etiam paucis diebus confici poterant: D. Jacobus Lucubrationes cum diurno labore conjungens, & Senatus Rotenburgici & Principis Chriſtophori volun-

luntati ſatisfacit. Quem Rotenburgenſes humaniſſimè tractatũ ſumma quoq; teſtificatione voluntatis & benevolentiæ erga ipſum, in pace dimiſerunt.

In Menſe Januario cum Duce Chriſtophoro Ratisbonam proficiſcitur D. Jacobus, & partes concionatoris Eccleſiaſtici ſuſtinet. Ubi cum D. Nicolao Gallo, qui primum Locum inter Miniſtros Evangelicos ibi tenebat, de controverſiis familiariter loquitur, quarũ mentionem crebram in cõcionibus ſuis popularibus faciebat, nullâ ratione habita, quod Pontificios audiret, hinc occaſionem calumniandi & deformandi doctrinam Eccleſiarum noſtrarum ſumere. Quem hortabatur, ut non tàm ſuæ, quàm noſtris Eccleſiis omnibus hoc nomine parceret, cum nulla neceſſitas illi incumbat, hoc tempore tàm odioſè controverſias illas tractandi. Etſi verò ab initio non admodum æquo animo accepit, vocatus tamen à noſtris ad prandium, qui idem monebant, poſtea patienter tulit cum intelligeret, non malo animo ſed optimo ſtudio ea à nobis

bis moveri, præſertim cum aliquot controverſiæ inter noſtros nondum deciſæ eſſent.

Fuit autem inter cætera etiam in illis Comitiis deliberatum de Colloquio inter Pontificios & noſtros in Religionis negotio & controverſia inſtituendo. Ad quod certæ perſonæ Judicio Cæſaris Ferdinandi, qui tū partes fratris Caroli V. Imperatoris ſuſtinebat, delectæ ſunt. Quibus D. Jacobus & D. Paulus Eberus à parte Theologorum Auguſtanæ Confeſſionis tanquam Notarii eadem autoritate Cæſaris Ferdinandi & Ordinum Imperii adjungebantur.

Et Francofurtum. Sequenti menſe Junio, cum Francofordiæ ad Mœnum tractatio inter Philippum Landgravium Haſſiæ & Comitem Joh. à Naſſavv, quem Divitem Comitem appellabant, inſtitueretur, & controverſia componenda eſſet, quæ belli Smalcaldici non poſtrema cauſa fuit, quo magna pars Principium & Civitatum Imperialium maximo ſuo malo involuti ſunt.

Digitized by Google

Erant autem eò quoque vocati ex variis locis Theologi, qui communicato conſilio deliberarent de modo & forma Colloquii Wormatienſis, decreto Cæſaris & Ordinum Imperii ſequenti menſe Auguſto ſuſcipiendi Cujus rei cauſa Chriſtophorus Dux Wirtembergicus. ſecum M. Johannem Iſenmannum pium & eruditum virum, D. Joh. Brentii ante bellum Smalkaldicum Halæ Suevorum in Miniſterio Eccleſiaſtico Collegam fidum & D. Jacobum adduxerat.

Etſi verò etiam quædam de certaminibus à quibusdam movebantur, quæ Eccleſias Auguſtanæ Confeſſionis aliquandiu exercuerunt: Ea tamen omnia à præſenti deliberatione removebantur, quod non illorum cauſa, ſed propter Pontificios ipſorum quoq; errores vel probandos vel corrigendos colloquium inſtitutum eſſet.

Adduxerat eo tempore Dux Juliacenſis ſecum tanquam Concionatorem Auli-

Aulicum, Matthiam Zittardum, qui conſenſum in Religione cum noſtris ſimulabat, & mẽtiebatur. Etſi enim Monachus profeſſione erat, habitum tamẽ mutaverat, ſuaque hypocriſi omnibus imponens Principibus Evangelicis, perſuaſum eſt, ut in Templo Evangelicorum in Monaſterio Franciſcanorum ipſi quoq; tanquam Evangelicum concionantem audirent, Et cùm hoc nomine in Aulam Wirtembergicam vocatus, & humaniter exceptus eſſet, ore p[illegible]tebatur, ſe eandem in omnibus ſuis partibus nobiſcum Doctrinam Religionis profiteri. Idque omnibus ſe teſtatum facturum, in proximo Colloquio Wormatienſi ſplendidè promittebat.

Poſtquam autem Wormatiam venit, & à D. Jacobo quæreretur, raſus & cuculla indutus cõſpectum & Colloquiũ D. Jacobi quibus potuit rationibus, declinavit & fugit. Qui poſtea Cæſaris Ferdinandi Concionator Aulicus factus & caſtra Imper. Maximiliani II. adverſus Turcam ſecutus in ſummâ deſperatione miſerrimè periit. Edidit hoc anno

D. Ja-

D. Jacobus brevem libellum de Cœna Domini, in quo viam ad piam concordiam monſtrabat; Cui D. Brentius brevem Commendationem in præfatione ejusdem addidit, ſi quo modo hæc controverſia piè componi potuiſſet.

Libet etiam hîc aliam hiſtoriam breviter narrare. Poſtquam enim Senatus Francofurtenſis quorundam Principũ conſiliariis, adeoque ipſis Principibus conqueſti ſunt, Cives vi ex Templo parrochiali ſummo ad D. Bartholomæum pulſos, Ideoque rogare, ut Principes in eodem aliquem ex adjunctis Doctoribus concionantem audirent, Quorum exemplum Senatus & cives ſecuti ſuum jus hoc modo repetere & templum denuò occupare poſſent. Id cum principibus probaretur, qui tum Controverſiæ componendæ aderant, Otto Heinricus Palatinus Elector, Philippus Landgravius Haſſiæ, Chriſtophorus Dux Witttembergicus & Dux Juliacenſis, Concio habenda D. Jacobo imponitur. Qui in ipſo die Johannis Baptiſtæ Templum ingreſſus, & proximè ad Ambonem

ſtans, ex principibus neminem præter Ducem Iuliacenſem ex adverſo Ambonis in ſummâ frequentiâ populi ſtãtem vidit. Dum ergo reliquorũ Principum adventus expectatur, Sacrificulus Ambonem conſcendit, præmiſſa admonitione ad preces pro Spiritus S. gratia impetranda. Ipſo autem tacitè apud ſe orante populus ſonorâ voce canit. Nun bitten wir den heiligen Geiſt: quâ cãtione abſolutâ Sacrificulus memoriter Hiſtoriam de Nativitate Ioannis recitat, Addito Exordio concionis de Lucifero, qui ſolis ortum præcedat, ſic Iohannem ſolis Iuſtitiæ præcurſoré fuiſſe. Hæc verba cum vix protuliſſet, populus aliam cantilenam ſubjungit; Nun frewt euch lieben Chriſtẽ gmein. Nec ceſſavit, donec penitus abſolveret. Conſiſtens ergo in Ambone Sacrificulus & expectans Cantilenæ finem, cũ videret populum nihil remittere, ſummâ irâ per citus ab ambone deſcendit, & rectà ad Ducem Iuliacenſem procedit è regione ſtantem, in hæc verba erumpens idiomate teutonico: Illuſtriſſime

ſiſsime princeps, Domine Clementiſſime coram Illuſt. Celſit. Tuâ proteſtor me hodierno die à meo ordinario officio depelli, & hujus rei ut ſit mihi Celſit. tua in noviſſimo die teſtis, humilimè oro. Cui Dux Iuliacenſis ſumma lenitate & manſuetudine reſpondit: Mi Domine, ſic inter principes convenit, ut hodierno die ſint concionem audituri alicujus ex ſuis Theologis, quos ſecum adduxerunt; ideoq; ſi tuo loco fuiſſem, illorum voluntati me non oppoſuiſſem; quod autem petis à me, ut in noviſſimo die teſtis eſſe velim, te vi ab officio tuo depelli, id perdifficile eſt mihi. Aut enim fortaſſis Tu & Ego non conveniemus in eo judicio, aut alter alterum non agnoſcet. Quo reſpōſo accepto, Sacrificulus quaſi in furorem converſus, clepſydram, quam in manu habebat, coram Duce Iuliacenſi in terram projicit, & magnâ cum blaſphemiâ, quam effuderat, in Sacrarium ſe recipit

Dum hæc aguntur, Dux Wirtem-

bergicus Chriſtophorus ad D. Jacobum curſorem mittit Rulandum, qui ipſum ad dandam concionem in aula Electoris Palatini vocaret. Cui cum quæ acta eſſent, per curſorem Duci Chriſtophoro nunciari curaſſet, Et D. Jacobus metueret, ne ipſo diſcedente (quem Dux Juliacenſis concionaturum ſciebat, & propter inſignia principis Wirtembergici in conſpectu haberet) major metus exoriretur; principes mutato conſilio ipſi quoque Templum ad Bartholomæum ingrediuntur; ubi pro concione hiſtoria de decollatione Johannis à D. Jacobo habita & ſtatim eodem loco typis excuſa fuit, cujus aliquot centena exemplaria Dux Juliacenſis ſecum in ducatum ſuum attulerat, & inter ſuos diſtribuit, cum maxima ſpes eſſet, fore, ut ipſe quoque ad publicam profeſſionem Religionis noſtræ accederet, quam in corde ſuo pridem agnoverat & prædicabat, cujus fortuna & conditio non tàm ipſius, quàm Eccleſiæ cauſa meritò dolenda eſt, de qua poſtea plura dicentur.

Ubi concio publica coram Principibus habita.

Poſt-

Poſtquam verò Wirtembergici Theologi & Politici viri, Colloquii aſſeſſores Wormatiam veniſſent, & priusquam ejus initium fieret, petente Electore Palatino-Heinrico D. Brentius & D. Jacobus in Pfedersheim pagum Wormatiæ vicinum ſe conferunt colloquii cauſa, quod cum Anabaptiſtis ſuſcipiendum. In quo triginta novem Antiſtites Anabaptiſtarum ex Palatinatū ad errores eorum propugnandos comparuerunt. In quorum partes cū Nobilis Vir præfectus in Alzen inclinare videretur, veniâ prius impetratâ à D. Brentio D. Jacobus Antiſtiti ipſorum hanc quæſtionem proponit, & categoricum reſponſum petierat. Si Nobilis palatini hic aſſidens præfectus furem in patibulo ſuſpendi & latronem rotæ imponendum mandaret, an eum pro Chriſtiano homine agnoſcere poſſet? Antiſtes diu tergiverſatus, quid opus eſt, inquit, hac quæſtione? ſed cum rogaretur à D. Jacobo, An meliorem in hoc opere ipſum agnoſceret Turcâ? Antiſtes reſpondet; ſe ipſum non meliorem æſtimare, quàm ſi Tur-

Colloquiū cum Anabaptiſtis Pfe[d]ersheimii.

cicus eſſet. Quod audiens præfectus excanduit, & admodum acerbè illum reprehendit; neque poſthac ullam ſignificationem favoris ſui erga illos dedit, ſed illorum impietatem deteſtatus eſt.

Actio Wormatienſis. Sequenti Menſe Auguſto, cum utriuſq; partis Theologi cum præſide Iulio Pflug Epiſcopo Numburgenſe, & Aſſeſſoribus politicis Wormatiam veniſſent, non ſermone & familiari collatione ſed ſcriptis agi cœptum eſt, ut conſcriptium magis, quàm Colloquium ſit appellandum. Quod cum aliquandiu duraſſet, noſtri primùm omnium de Iudice controverſiarũ conſtituendum eſſe monebant. Quod inter Pontificios & noſtros nulli debeatur, quàm ſoli verbo Dei, in ſcriptis Propheticis & Apoſtolicis comprehẽſo. Quiſquis enim ex verbo Dei doctrinam ſuam probaverit, ei jure ab altera parte cedendum diſertè affirmabant. Contra Pontificii prolixo ſcripto teſtabantur, ſe nequaquam neque unquam conſentire poſſe in unicum

hunc

hunc Iudicem. Scripturam enim ſacram eſſe literam mutam, mortuam, ambiguam, adeoque NON VOCEM IUDICIS, ſed MATERIAM LITIS, ex qua certa dijudicatio harum controverſiarum depromi non poſſit. Quapropter ſi in hoc propoſito conſiſtere velint Auguſtanæ confeſſionis Theologi, ſe in inſtituto colloquio ulterius progredi non poſſe; ſiquidem contra negantem principia non ſit diſputandum.

Accidit autem eodem tempore, ſic inſtigante inquietiſſimo homine Flaccio Illyrico, qui urbi Vangionum vicinus erat, ut Saxonici Theologi Iohannis Friderici Vinariâ miſſi condemnationes quorundam urgerent; id niſi conſequerentur, ſe colloquio neque poſſe neq; velle intereſſe. Inter quos præcipuus erat D. Erhardus Schnepfius, D. Ioachimus Mörlinus, M. Victorinus Strigelius, M. Eraſmus Sarcerius.

Etſi verò aſſeſſores Politici ex parte Theologorum Auguſtanæ Confeſſio-

Digitized by Google

nis, qua potuerunt fide & diligentia cum illis agerent, ne tempore adeò importuno illas condemnationes peterēt, quæ magna ex parte ulteriorem cognitionem requirerent, neque autores eſſent tanti offendiculi, quod Pontificii ad abrumpendum colloquium arripere poſſent, qui jam teſtificati ſint, ſe ex alia cauſâ ulterius progredi non velle. Ne igitur cauſa diſſipati Colloquii in nos derivetur, obnixè rogarunt, ut ab inſtituto ſuo remitterent, & ejusmodi negotium in aliud & commodius tempus rejicerent. Addita ſimul graviſſimâ cōminatione iræ & indignationis atque judicii divini, quod propter datum tantum offendiculum effugere aut declinare nequeant.

Verum cum hæc omnia fruſtra cum illis tractarentur, & præeunte proteſtatione apud præſidem Julium depoſita commemorati Theologi ex urbe Vangionum diſcederent. Qui à Pontificis Romani partibus aderant collocutores & adjuncti Occaſione præclarâ hac nacta, apud eundem præſidem quoq; teſtifican-

ficantur, ſe cum reſiduis Theologis in inſtituto Colloquio procedere nolle. Etſi verò Julius præſes diligenter eos rogavit, ne collationem propter diſceſſum paucorum impediret, nihil tamen ſuis admonitionibus profecit.

Quapropter negotium ad Cæſarem Ferdinandum perſcribitur; Interea tẽporis, dum reſponſum expectatur, Epiſcopus Julius præſes permittit omnibus perſonis ad colloquium deputatis, integrum Menſem, ut quò vellent, illis animi gratia excurrere liceret. Reſcriptum autem à Cæſare poſtquam accepit præſes Colloquii, id in pleno conſeſsù proponitur, quo Cæſar Ferdinandus hortatur, ut in inſtituta collatione procedant Collocutores utriusque partis Theologi nulla ratione habita, quod quidam Theologi diſceſſerunt: Pontificiis tamen perſuadere non potuit. In locum enim Theologorum, qui diſceſſerant Chriſtianiſſimus princeps Chriſtophorus Dux Wirtébergicus alios ex Ducatu ſuo ad Colloquium miſerat, videlicet D.D. Matthæum Aulberum, D.

D. Jacobum Beurlinum, & D.D. Theodoricum Schnepſium, Theologos, qui locum priorum Theologorum ſupplerent.

Cum ergo ſuis admonitionibus nihil quicquam apud ſuos efficere poſſet præſes, colloquium ad eũ modum abruptum eſt. Ingenuè autem cõfeſſus eſt coram noſtræ partis Theologis & politicis Aſſeſſoribus, quos ad prandium invitaverat, per noſtros non ſtetiſſe, quo minus in inſtitutâ collatione procederetur. Cujus rei coram Cæſare Ferdinãdo & omnibus Ordinibus Imperii ſe noſtris teſtimonium publicũ haud gravatim perhibiturum permittebat.

Etſi verò poſt ſolutum Colloquium varia per Pontificios ſparſa ſunt, & noſtræ partis Theologi vehementer exagitati, quod inter ſe diſſidentes cauſam dederint, quò minus Pontificii in inſtituto Colloquio procedere potuerint: tamen noſtris minimè integrum erat per Religionem jurisjurandi verã cauſam diſſoluti colloquii aperire. Prius enim quam collatio Wormatiæ inſtituta eſ-

Digitized by Google

ta eſſet, quotquot Colloquio ex decreto Imperii intereſſe poterant, juramento ſolenni obſtricti ſunt, ne quid eorum, quæ in Colloquio propoſita & tractata ſunt, aperiatur, priusquam Cæſari & Imperii ordinibus relatio fiat; quæ ad annum 59. usque dilata eſt. Non enim diſſidium inter Theologos noſtros, ſed teſtificatio Pontificiorum cauſa ſoluti colloquii vera fuit, qua apertè teſtati ſunt, ſi noſtri in eo perſeverent, quod SOLA ſcriptura ſacra in hac controverſia Judex ſit, ſe in inſtituta collatione neque poſſe neque velle procedere; ſiquidem contra negantem principia non ſit diſputandum. Hæc, inquam, UNA & vera cauſa fuit. Quapropter Deus etiam horribiliter ferè omnes punivit, qui ejus offendiculi cauſa fuerunt, quod diſcedentes Thuringiaci & Saxonici Theologi odio quarundam perſonarum, & ut inquietis hominibus ipſorumque cupiditatibus ſatisfacerent non ſine morſu conſcientiæ dederunt. Cujus judicii divini vir graviſſimus Balthaſarus à Giltlingen nomine Ducis

Digitized by Google

Chriſtophori Wirtembergici Aſſeſſor eos magno zelo commonefecit.

Et quoniam omne præſidium ſuæ malæ cauſæ in noſtrorum diſſidio ſanè infelici poſuerunt, Satan inſignem hypocritam Fridericum Staphylum & Apoſtatam impudentiſſimum ad exagitandas noſtrorum diſſenſiones excitavit. Qui non modo ſectarum quamplurimarum opiniones collegit, easque ſimul omnes Luthero tanquam primario tribuit, ſed ex ipſius Lutheri aliorumque piorum ac doctorum ſcriptis infinitas propemodum antilogias confinxit, quibus ſperavit doctrinam Eccleſiarum noſtrarum vanitatis argui & convinci poſſe.

Cui D. Jacobus ſe oppoſuit non privata voluntate, ſed legitimâ vocatione excitatus. Cum enim primum Staphyli ſcriptum ſub titulo Epitome Trimembris Theologiæ Lutheranæ, in qua jam commemoratæ fictæ Antilogiæ continebantur editum eſſet: Dux Chriſtophorus Stuttgardiæ cum Synodus celebraretur, Theologis congregatis legendum

dum tranſmittit. Quod cum inſpexiſſet D. Brentius & videret, quod nihil præter Satanicas calumnias & depravationes contineret, D. Jacobo tradit, qui in Synodo Eccleſiarum, quæ ipſius inſpectioni ſubjectæ erant, negotia deliberanda propoſuerat, ſe expediviſſet, ut brevem refutationem per ocium conſcriberet. Ex qua optimus princeps intelligere poſſit, nihil veri ſed duntaxat confictas & Satanicas antilogias & depravationes rectè doctorum & ſcriptorum in hoc libello contineri.

Dum ergo reliquis tres generales Superintendentes Acta viſitationum ſuarum ſuarum proponunt, & de ſingulis capitibus propoſitis deliberaretur, D. Jacobus in conſilio Synodi aſſidens, & in gravioribus negotiis rogatus ſententiam ſuam dicens Antilogiarum Staphylicarum refutationem brevem conſcribit. Priusquam verò ex Synodo vel ad prandium vel ad cœnam diſcederent Theologi, jubet Brentius breviter recitari, quæ D. Jacobus in Refutatione inſtituta annotaverat. Ea cum probaren-

Opponitur Staphylo Apoſtata.

batentur, & ad refutationem juſtam ſufficere viderentur, ſtatim quotquot ab ipſo ſingulis diebus ſcripta erant, deſcribi in Curia curavit, ut optimus princeps rei veritaté cognoſcere poſſet. Qui labor principi quoque probatur. Priusquam ergo Synodus ſolveretur, Refutatio Epitomes Antilogiarũ Staphylicarum confictarum per gratiam Dei abſoluta eſt. Ea cum piiſſimo principi Duci Chriſtophoro integra & abſoluta exhiberetur, D. Jacobo ad Eccleſiam ſuam revertente, & ipſo ignorante, juſſu & mandatu principis typis excudenda traditur, cum in ſolius principis uſum duntaxat à D. Jacobo conſcripta eſſet. Quæ aliâs ſi ejus rei conſcius fuiſſet D. Jacobus, plenior in lucem edita eſſet. Hic primus D. Jacobi cum Staphylo de facie ignoto cõgreſſus fuit. Cui Staphylus ſe acriter opponens alterum edidit ſcriptum, in quo Antilogias ſuas tueri conatur; verum cauſam malam planè deploratam reddit. Quod D. Jacobus altero ſuo ſcripto & demonſtravit. Cujus lectione

ne cum quaſi in furorem converſus eſſet Staphylus, ad criminationes & contumelias ſe confert. Cui D. Jacobus pœnitentiam aut deſperationem proponit. Et cum videret Staphylum conviciis duntaxat pugnare, & à rebus cõtroverſis ad perſonas ſe convertere (non enim Theologus ſed Orator erat Staphylus profanus quem nullius manifeſti mendacii & apertiſſimæ calumniæ pudebat) nullo amplius reſponſo D. Jacobus eum dignatus eſt.

Anno 1559. cum Ferdinandus Cæſar nomine fratris Caroli V. Comitia habere cœpiſſet, re prius Stuttgardiæ lectis Colloquii Wormatienſis actis, deliberatâ, D. Jacobus cum Conſiliariis Politicis, qui Wormatiæ colloquio interfuere, 19. Auguſtam quoque mittitur, quo 22. pervenerunt.

Magnâ autem pompâ Carolo V. exequiæ à Ferdinando fratre Auguſtæ celebrabantur, in quibus Legati Evangelicorum principum Ferdinandum Imperatorem uſq; ad fores Templi comitabantur, & ibidem ex templo egredien- *Mittitur Auguſtã.*

dien-

dientem excipiebant, ut ſimul fidem ſuam profiterentur, & debitum obſequium Cæſari uſque ad Aras præſtarent. Et cum in negotio Religionis nullæ deliberationes inſtituerentur, D. Jacobus à quibuſdam Senatoribus Auguſtanis Evangelicis & Eccleſiarum miniſtris rogatus Dominicâ Quaſimodogeniti in Templo ad D. Annã, de Juſtificatione fidei coram Deo, concionem dedit, quæ etiam ſtatim rogantibus plurimis piis impreſſa eſt. Tertiâ die Maij Capita deliberationis, quæ cauſæ Comitiorum ſint, omnibus Imperii ordinibus à Ferdinando Imperatore proponuntur.

17 Martii. Cum autem publicatio Actorum Colloquii Wormatienſis exhiberetur, Duce Chriſtophoro conſentiente Göppingam ad explicationem hiſtoriæ Paſſionis Domini noſtri Jeſu Chriſti D. Jacobus redit, Auguſtam 22. ejusdem mẽſis reverſus. Priusquam verò Decretum erat, ut Acta Colloquii Wormatienſis in conſeſſu omnium Ordinum Imperii publicarentur: ex parte Pontificiorum amiſ-

amiſsâ clave, violentâ manu artificis ciſta aperitur, in quâ ſcripta omnia repoſita erant. Quod D. Jacobus aſpiciens aſtantibus dixit: Ecce regnum Dei vim patitur, & violenti rapiunt illud. Maluiſſent ſanè Pontificii, non modò clavem ſed ciſtam quoque unà cum incluſis ſcriptis periiſſe, ne illorum extrema impietas in lucem produceretur, qui non veriti ſunt ſcribere: Scripturam ſacram non eſſe verum Judicem, ſed materiam litis. O vocem blasphemam deteſtandam & execrandam! Cum autem in ultimo ſcripto Theologorum Auguſtanæ Confeſſionis, Pontificii collocutores pro dignitate tractati eſſent, quod poſtremum in ciſtam præſente utraque parte repoſitum erat, Pontificii interea aliud adornabant, quo à ſe depellere conabantur, quæ ipſorum collocutoribus à nobis objecta fuerunt. Id verò nequaquam Wormatiæ in ciſtam illatum eſt, de quo acriter Auguſtæ in Comitiis controvertebatur. In publicis enim congreſſibus noſtrorum ſcriptûm ultimum fuit. Quod præſes colloquii

loquii Julius Pflug negare non potuit. Ideoque in conſeſſu Imperii Pontificiorum ſcriptum quod poſt ſolutū colloquium ab ipſorum Theologis conſcriptum fuit, lectum non fuiſſet, niſi noſtri conſenſiſſent; Quod denegare noluerunt ne ſuæ cauſæ diffidere videantur. Gravis quoq; querela Pontificiorum in eodem conſeſſu poſt publicana acta colloquii adverſus D. Jacobum recitata fuit, ipſo præſente & audiente, quòd Francofurdiæ Eccleſiaſten ordinarium ejus loci in templo ad D. Bartholomæum violenter ab officio ſuo depulerit. Quo nomine in leges publicas conſtitutæ pacis Religionis horribiliter peccaverit. Similiter quoque, quòd durantibus Comitiis in ſummo templo Auguſtæ Pontificio Doctori concionanti publicè contradixerit, eumque mendacii in doctrinâ arguerit. Ad quam poſteriorem partem accuſationis cauſam dedit; cum D. Jacobus die quodam Dominico ſummum Templum, quod proximū ipſius hoſpitio erat, ad audiendum Sacrificu-

lum

lum ingrederetur, Sacrificulus verò horrendas blaſphemias & mendacia cōtra doctrinam & Doctores noſtros proponeret, D. Jacobus converſus ad Comitem itineris amicum dixit: Mentitur. Idque, cum nullum finem blaſphemiarum & mendaciorum faceret, aliquoties repetivit. Cum autem à tergo aſtaret illi Sacrificulus, voce exaltatâ, ut ab ipſo quoque concionatore in ſuggeſtu exaudiri potuerit, inquit ad D. Jacobum: Aſcende in cathedram, & dic Concionatori, quod mentiatur. Hâc voce auditâ res parùm ab inſigni motu abfuit. Quapropter Conſiliarii Ducis Wirtembergici, qui & ipſi concioni intererant, comites adjungunt D. Jacobo, qui eum in hoſpitium Wirtembergicorum, quod proximum templo erat, deducant, ne quid periculi ab illo Sacrificulo & pontificiis ei creetur.

Dum hæc de Religionis negotio in Senatu Imperii tractantur, viſum eſt principibus Evangelicis ſimul quoque concionem in publico urbis templo audire, quibus ſingulis aliâs in ſuo hoſpi-

tio

tio ſinguli concionatores aulici conciones dabant. Id cum D. Jacobo indicatum eſſet, concionem de Cœnâ Domini in templo ad D. Annam præſentibus omnibus in Comitiis congregatis Evangelicis principibus habuit. Quæ ſtatim durantibus Comitiis Tubingæ impreſſa, & Duci Wolffgango Palatino dedicata paſſim ſparſa fuit, maximè propter appẽdicem, in quo Eccleſia de turpiſſimâ doctrinâ Papiſtarum admonebatur, quàm Otto Cardinalis præfatione in libellum Johannis de Lapide cõmendabat, In eo enim libro hæc quæſtio continebatur: Quid faciendum, ſi quis diarrhœâ laborans Sacramentum ſumeret, & per ſeceſſum hoſtiam integram aut ejus particulas emitteret? Reſpondet Johannes de Lapide, ſi particulæ illæ diſcerni à ſtercore poſſent, ut à Sacrificulo benè diſpoſito jejuno ſine nauſeâ ſumantur. Quod cum in Comitiis lectâ concione D. Jacobi & appendice de libello Johannis à Lapide, & præfatione Cardinalis Auguſtani & pontificiis objectum eſſet, Cardinalis

Vbi concionẽ præſentibus principib. habet.

ad

ad tegendam turpitudinem curat, ut omnia exempla libelli illius, qui magno numero apud bibliopolam reperiebantur è conſpectu hominum tollerentur, ne amplius monſtrari aut illis obiici poſſit. Quo nomine D. Iacobus prius exoſus in majus odium incurrebat, cui etiam Pontificii mortem minabantur, eaque dignum clamarent, Qui ejusmodi res in vulgus ſpargere auderet, non conſiderantes hæc non ab ipſo conficta, ſed à Iohanne de Lapide Câtholico antea ſcripta, & à Cardinali Romanæ Eccleſiæ Ottone Truchſeſs publico ſcripto tanquam Catholicam doctrinam commendata eſſe.

His peractis à Duce Chriſtophoro domum dimittitur ad ſibi commendatam Eccleſiam D. Iacobus. Qui undecimo Iulii denuò Auguſtam vocatur ad deliberationem, de quibusdam rebus neceſſariis Religionis noſtræ. 18. ejusdem menſis frementibus & furentibus hoſtibus ejus per gratiam Dei ſalvus & incolumis ad ſuos reverſus eſt.

Eodem

Intereſt Synodo Ottingenſi. I.

Eodem anno, menſe Octobri ad Synodum Theologorum & Conſiliariorum in Comitatu Ottingenſi vocatus eſt, D. Jacobus. Quæ Synodus in Alerheim celebrata, ubi non modo paſtorum vita & mores præeunte accuratâ viſitatione examinati ſunt. Sed quantum miniſterio ſuo profeciſſent, exploratum erat, ut emendatis emendandis in doctrinâ & moribus Paſtorum & auditorum Eccleſia Dei incrementum ſumeret, & doctrina Evangelii copioſum fructum afferret. Et cum in viciniâ & intra præfecturam Gôppingenſem non pauci Anabaptiſtæ agerent, aliquot colloquia cum illis D. Jacobus inſtituit, ut eos ab erroribus, in quibus verſabantur, revocaret.

Colloquiũ cum Hagenio.

Accidit quoque hoc tempore, ut paſtor quidam Wirtembergicus M. Bartholomæus Hagenius in errorem ZWinglianum de Cœnâ Domini delaberetur. Quem Mater Ducis Chriſtophori ejus rei ignara, aliquoties ad ſe vocabat, & loco concionatoris aulici interdum utebatur. A quo cnm

Dux

Digitized by Google

Dux Chriſtophorus confeſſioné ſcriptam exigeret; ejus copias ad omnes Generales & Speciales Superattendentes eorum cenſuram ſcriptam requirens, tranſmiſit. Quas ſimul omnes cum accepiſſet, & omnium & ſingulorum piorum conſenſum in veritatis doctrinâ conſpexiſſet, Synodum indicit, ad quam commemorati Superintendentes Stuttgardiam vocantur. Et ſimul omnes etiam Profeſſores Theologi ex Academiâ Tubingenſi accerſiti ſunt. Quibus M. Hagenium ſiſti voluit, ut confuſus & erroris convictus in viam reduci poſſit.

Quapropter D. Jacobus à viris ſecretioris Conſilii, D. Theodorico à Plieningen, magno Curiæ Magiſtro, D. Johanne Feſſlero, Cancellario, D. Johanne Brentio, Præpoſito Stuttgardiano, D. Hieronymo Gerhardo vice Cancellario, vocatus cum eſſet voluntate & juſſu Ducis Chriſtophori ei injungeretur, ut coram congregatis Theologis & Conſiliariis omnibus Politicis, quos Celſ. ejus colloquio quoque adhibuit, colla-

collationẽ de Cœnâ Domini inſtituat. Etſi verò diu reluctaretur D. Jacobus, quòd non modo D. Brentius verum etiam Tubingenſes Theologi Profeſſores id melius præſtare poſſent, nihil tamen efficere, neque hunc laborem à ſe in alium derivare potuit, cauſam hujus conſilii ignorans, quæ poſtea illi revelata fuit. Cum enim jam inde à pueritiâ M. Hagenio in Stipendio Principis conjunctus eſſet, in ſuſpicionem apud Ducem Chriſtophorum ipſe quoq; venerat, quod in doctrinâ de Cœnâ Domini ipſe quoque faveret. Quâ ratione non tàm Hagenius, quàm ipſe quoque D. Jacobus, quæ ejus doctrina & Confeſſio eſſet, exploratus fuit. Speravit quoque ſapientiſſimus princeps hanc collationem Conſiliariis ſuis etiam profuturam, ſi momentum controverſiæ hujus in hâc placidâ collatione audirẽt, & ſecum expenderent.

Poſtquam ergo ad Collationem pervenit, D. Jacobus quamprimum ad ſtatum controverſiæ accedit, & quæ ſit ejus ſententia, ut apertè exponat, hortatus

tus eſt. Quæ collatio eò hoc nomine facilior fuit, quòd prius Göppingæ Hagenius ipſum acceſſerat, & ſentētiam ejus de ſuo libro expetiverat, quem D. Jacobus tum docuerat, quâ in parte à veritate aberraret.

Ne autem cuiquam videretur ſine judicio ſe in hanc opinionem deveniſſe, argumenta ſua, quæ illi ſcripta Calvini & Zvvinglianorum ſuppeditaverant, profert. Ea cum D. Jacobus confutaſſet omnia, ad D. Brentium ſe convertit, eumque alloquitur, ſe hanc doctrinam ex ſcriptis ejus, Exegeſi inprimis in Johannem didiciſſe, ubi ſcriptũ legatur: Os corporis accipere panem, os fidei accipere corpus Chriſti. Cui Brentius iraſcens reſpondit, quod impudentiorem hominem vix viderit, qui audeat viventi Brentio errorem tribuere, quem jam inde ab exordio hujus cõtroverſiæ ſemper execratus ſit, & plurimis publicis ſcriptis refutaverit: Maximè verò in Exegeſis ſuæ commemoratæ capite ſexto, unde hæc ejus mutilata verba produxerat, ubi ex profeſſo con-

tra hunc errorem Zvvinglianorum pugnaverit,&objectum argumentum ſolverit. Sic enim Zvvinglianos argumentatos eſſe ; Si corpus Chriſti per miraculum in Cœna Domini præſens eſſet,utiq; etiã ſentiretur, ſicut omnia miracula Chriſti in oculos hominum incurrunt. Quia autem corpus Chriſti in pane nullo ſenſu percipiatur, Ideo etiam non adeſſe credendum ſit. Ad hoc Argumentum ſe reſpondiſſe dicebat Brentius, ut maximè os corporis non ſentiat corpus Chriſti, tamen os fidei ſentire. Quæ cum ita ſe habeant, ſicut libellus teſtetur, hortatur Hagenium, ne poſthac ad tuendum ſuum errorem verbis Brentii utatur, à quo toto pectore abhorreat, & abhorruerit ſemper. Cum igitur nullâ ratione opinionem ſuam tueri poſſet, privatũ Colloquium expetit, quod ipſi cum denegatum non eſſet, in eo quoque erroris convictus, & ut veritati cederet, ad monitus, tandem errorem ſuum in conſeſſu omnium Conſiliariorum & Theologorum confeſſus & deprecatus

eſt,

eſt, perhibens teſtimonium veritati, quam Eccleſiarum noſtrarum Doctores profiterentur. Ne autem in eundẽ errorem relaberetur, & mater principis, quæ ejus Doctrina & Confeſſio de Cœnâ Domini eſſet, cognoſceret, viſum fuit Duci Chriſtophoro, ut hæc Confeſſio brevi ſcripto comprehenderetur, quam propria quoque manu confirmaret. Quod abſoluto colloquio factum, & à cæteris quoque præſentibus Theologis ſubſcripta fuit. Nec quiſquam ad Miniſterium docendi in Eccleſiâ admittitur, niſi prius lectâ & approbatâ ſuâ manu ſubſcribat.

Reformatio Iebenhauſenſis.

Cum igitur publicatis Actis Colloquii Wormatienſis aut nulla aut exigua ſpes Concordiæ inter Pontificios & noſtros in Religionis negotio relicta eſſet, à D. Jacobo Nobilis Vir, Johannes à Liebenſtein, vir honeſtus eruditus, & gravis, cum Göppingæ habitaret, ſæpè compellatus fuit, quando tandem ad Religionem noſtram accedere vellet. Pontificiã enim Religionẽ hactenus ſecutus erat, & ſacrificulum

domi ſuæ alebat, qui in vicino pago ipſi Nobili ſubjecto Jebenhauſen, ubi celebres Acidulæ ſunt, Miſſas celebraret. Wormatiæ enim à Colloquio reverſus D. Jacobus cùm à Nobili à Liebenſtein interrogaretur, quid in Colloquio actũ eſſet, quod illi D. Jacobus obſtante Religione Jurisjurandi aperire non audebat, donec in Comitiis ejusdem Colloquii acta publicarentur, tamdiu ſe quieſcere velle reſpondebat, donec, quid in Colloquio hoc poſtremo actum ſit, intelligeret. Nec ulterius ſe ullis perſuaſionibus perduci patiebatur. Quapropter magno deſiderio cum reditum D. Jacobi ex Comitiis Auguſtanis expectaret, quamprimum advenerat, eundẽ ad ſe vocat, cognoſcere cupiens, an Acta Colloquii Ordinibus propoſita & quousque negotium Religionis deductum eſſet, Ei cum D. Jacobus referret, non initium factum Colloquii, nec ullam partem controverſorum Articulorum tractatam, ſed non inchoatam etiam abſolutam eſſe, quod Pontificii Scripturá ſacram non pro voce Judicis agnoſcerent,

rent, ſed etiam Materiam litis appellarent, literam, mutam, ambiguam, dubiã, ex qua nihil certi depromi poſſit. Quo audito, Johannes à Liebenſtein homo aliàs naturâ lenis & manſuetus, excandeſcens inquit: Et quis alius Iudex eſſe poteſt, niſi verbum Dei in ſcripturà ſacrâ comprehenſum. Ejusque rei indignitate permotus, cogitationes de emendatione cultus divini in pago Iebenhauſen in animo ſuo volutat. Hac occaſione oblata D. Jacobus non deſinit apud ipſum inſtare, ut Pontificiam Idolatriam abrogare, & ſubditis ſuis repurgatam Doctrinam Evangelii permittere velit. Ad quam rem cum D. Jacobus ſe promptum, & operam ſuam paratam ei offerrebat, Ea tamen lege, quod NE OBULUM quidem pro ſuâ operâ recipere vellet, tandem paſſus eſt ſibi perſuaderi, ut D. Jacobus hujus emendationis initium moderatis cõcionibus faceret, & ſine cujusquam contumelia placidè doctrinam Evangelii ſuis ſubditis proponeret. Quapropter ſingulis diebus Dominicis pedes Göppin-

Digitized by Google

ga Jebenhuſum egreſſus à prandio concionem dedit. In quibus partem Evangelii Dominicalis explicavit, cum qua deinceps Doctrinam Catecheticam cõjunxit. Quibus reipſa demonſtravit, nõ novam fidem aut Religionem illis tradi majoribus ipſorum ignotam, ſed veteri & antiqua religione catholica in omnibus partibus retenta & aſſerta, duntaxat abuſus & traditiones humanas abrogare, quæ contra Catholicam fidem in Eccleſiam Dei ſuperioribus annis introductæ ſunt. Cum autem D. Iacobus ſæpius avocaretur à Duce Chriſtophoro, ut neque Eccleſiæ Göppingenſi, neque Iebenhuſenſi præeſſe poſſet, Iohannes à Liebenſtein nulli ex vicinis paſtoribus Iebenhuſenſis Eccleſiæ curam commiſit. Cauſam cum ex ipſo quæreret D. Iacobus, reſpondit: *Vna concione immodeſta* plus deſtrui, quàm D. Iacobus decẽ ædificare & corrigere poſſit. Quod eò magis illi curæ fuit, propter extraneos, qui valetudinis curandæ causâ ad acidulas ſingulis annis, non modo ex plebeiis verum etiam Comitibus, Baro-
nibus

nibus & Nobilibus eo magno numero venirent. Etſi verò difficile erat D. Iacobo ſingulis diebus Dominicis & feriatis tres conciones habere (mane enim in urbe, à prandio in lebenhuſo, & veſperi denuò in urbe cõcionabatur) maluit tamen Eccleſiæ, quàm ſalutis & valetudinis rationem habere, quam Dominus mirabiliter in illo confirmabat, ne deficeret.

Erat autem Iohannes à Liebenſtein ſeptuaginta duorum annorum, cũ mutationem Religionis & repurgationem doctrinæ in Eccleſiâ lebenhuſenſi ſuſciperet, Vir excellentis ingenii & eximii judicii, qui inprimis lectione Hiſtoriarum delectabatur. Etſi verò longius quàm par erat, correctionem illam extraheret, nihil enim niſi præmeditatum ſuſcipiebat, non tamen deſiit conciones D. Iacobi non modo diebus feriatis, ſed etiam omnes, quas diebus non feriatis habebat, diligenter audire. Et interrogatus, quomodo illi placerent, commẽdare, ſemper illud in ore habens: *Novam Doctrinam* (ſic appellabat doctrinã Evã-

 gelii

gelii) & antiquam honeſtatem probè convenire: tacitè innuens, Doctrinæ Evangelii vitam auditorum non reſpõdere. Et principibus operculum iniquitatis eſſe, qui hoc prætextu bona Eccleſiæ invaderent, & in ſuum uſum converterent. Quod vehementer deteſtabatur, & inter alia plurima impedimẽta non poſtremum fuit, quod non temporius ad confeſſionem noſtram acceſſerit. Cum igitur D. Jacobus ſtudium pietatis in eo animadverteret, quod conciones ſacras frequens audiret, nihil moratus, quod ſacrificium domi ſuæ aleret, quoties ad obeundum munus patrinorum vocatus eſt, ut infantes ex baptiſmo ſuſciperet, D. Jacobus eum nunquam repulit. Quin vocatus ab illo ad prandium vel cœnam comparuit, & eundem viciſſim quoque invitavit, & omnes occaſiones quæſivit, ut ipſum Domino lucrifaceret, quod octavo demum anno Göppingæ factũ eſt; Quem ſi durius vel aſperius tractaſſet, nunquã Chriſto adduxiſſet. Memor illius Apoſtoli: Servum Domini oportet eſſe patien-

Digitized by Google

tientem, cum modeſtia corripientem eos, qui reſiſtunt veritati, ſi quando det illis Deus pœnitentiam ad agnoſcendã veritatem. *2. Tim. 2. v. 25.*

Accidit quoque; quod Nobilis à Rechbergo in oppido Weiſenſtein, quod duobus miliaribus à Göppinga diſtat, duos Judæos captivos teneret, quorum alter à Sacrificulo baptizatus vita à Nobili donatus eſt. Alter verò cum à ſua perverſa opinione ſe abduci non pateretur, carnifici ſuſpendendus traditur. Hâc famâ excitatus D. Jacobus cupiens & genus ſupplicii videre, & in qua confeſſione moriturus eſſet, cognoſcere, eò quoque venit. Cùm igitur manibus ad tergum ligatis pedibus ſuſpenſis penderet, & ad utrumque latus ſimul poſterioribus pedibus ligati duo Canes quoq; ſuſpenderentur: ſtatim in miſerum Judæum impedum faciunt, arrodentes illius cubitos, perinde ac ſi os illis liberis arrodendum objectum eſſet. Aures quoque & narium partem ei auferebãt morſibus ſuis. Spectaculum miſerabile. *Convertit Iudæum ſuſpensũ.*

Etſi verò omnes Sacrificuli erant miſſificatores, qui eum ad fidem Chriſtianam hortabantur, nihil tamen papiſticorum errorum ei proponebant, ſed ut fiduciam omnem in unicum ſacrificium Chriſti in cruce pro peccatis totius mundi oblatum collocaret, cohortabantur. Nihil autem quidquam neq; dolor, quem ex morſibus canum percipiebat, neque acclamationes Sacrificulorum apud ipſum proficiebant. Quin pendens in patibulo, quoties canes remittebant mordendo, conſolationis ſententias ex pſalterio depromptas Hebraicè canebat, & ardentibus votis Deũ Abrahæ, Iſaac & Iacob invocabat, ut ipſius miſereatur. Conſpicatus autem paſtor Weiſſenſteinenſis (qui in corde Doctrinam Evangelii amabat, ſed coram ſuo Nobili profiteri non audebat) D. Iacobum proximè aſtantem, eundẽ accedit, & diligenter rogat, ut ipſe quoque miſerum Iudæum alloquatur, ſi fortè Dominus gratiam largiretur, ut ipſius anima ex faucibus Diaboli eripi queat. Etſi verò difficulter hoc ſibi perſuaderi

ſuaderi eſt paſſus D. Iacobus, quod in alieno territorio eſſet, & in religionis negotio ab illis diſſentiret, tamen precibus amicorum qui illi aſtabāt victus, eundem Iudæum quoque alloquitur. Primùm cōmodans illius preces, quod unum verum Deum Abraham, Iſaac & Iacob invocaret: Siquidem nō ſint plures Dii ſed unus Deus; Deuter. 6. Audi Iſraël, Deus tuus יְהוָה אֶחָד Dominus Unus eſt; In eo autem errare, quod exiſtimet ſe ab hoc uno Deo recedere, ſi in Jeſum Chriſtum Mariæ filium credat, quod adhunc modum facilè agnoſcere poſſit. Nam Rabinorum Judaicorum unanimi conſenſu & teſtimonio certū eſſe, quod יְהוָה ſit Dei proprium nomen, quod nemini, niſi ſoli Deo tribuatur. Deinde hoc quoq; manifeſtum eſſe, quod vocabulum hoc & nomen Dei proprium in propheticis ſcriptis Meſſiæ tribuatur, ſicut apertè doceat Ieremias, ubi de futuro Meſſia conconatur: Excitabo David germen juſtum, & regnabit Rex, & ſapiens erit, & faciet ju-

dicium & juſtitiam in terrâ; In diebus bus illis ſalvabitur Iuda, & Iſraël habitabit confidenter. Et *hoc eſt* nomen ejus, quod יְהֹוָה צִדְקֵנוּ Dominus juſtitia noſtra. Ex quo manifeſtum eſt Meſſiam non ſolum eſſe verum hominem ex ſemine David, ſed etiam verum Deũ יְהֹוָה Dominum creatorem cœli & terræ. Quapropter ſi credat in Chriſtum, ſciat ſe non in novum aliquem factitium Deum, ſed in verum Deum Abraham, Iſaac & Iacob credere, qui omnes fiduciam omnẽ ſuam in hoc Meſſia vero Deo collocaverint, & ejusdem diem videre cupiverint Cur autem non ſolum hominem ſed etiam verum Deũ eſſe oportuerit ad expianda totius mũdi peccata, copiosè illi expoſuit, ut pœnã ſuſtinere tantam poſſet; quod nullæ neque angelicæ, neque terreſtri creaturæ poſſibile fuiſſet. Quod exemplo ipſius Iudæi demonſtravit, qui non propter transgreſſionem totius Decalogi, ſed unius duntaxat præcepti videlicet ſeptimi & ne quidem totius ſed unius partis dun-

Digitized by Google

duntaxat ejus in patibulo pendeat, quâ pœnâ non Deo, ſed hominibus duntaxat ſatisfaciat, pro furtis autem clandeſtinis & quæ duntaxat animo & cogitationibus perpetraverit, eaque non minus furta ſint, quàm hoc craſſum, quod commiſerat, ipſum minimè ignorare, cum Lex dicat: Non concupiſces quidquam eorum quæ proximi ſunt. Quanta ergo pœna ſuſtinenda pro transgreſſione reliquorum novem præceptorũ, adverſus quæ cogitationibus, verbis & factis peccaverit? Memor illius Moſis: Maledictus, qui non permanſerit IN OMNIBUS, quæ ſcripta ſunt in libro legis. Hanc maledictionem in ſe recepit Christus, qui יְהֹוָה hoc eſt, Dominus & verus æternus Deus eſt, & induit carnem, in qua pro nobis legi perfectè nõ ſolùm ſumma innocentia conceptionis Nativitatis, cogitationibus, dictis & factis perfectè implevit, nec inventus dolus in ore ejus, ſed etiam paſſione triſtiſſima & morte cõtumelioſiſſimâ omniũ hominum, adeoque totius Mundi pec-

Digitized by Google

cata expiavit, in quem, ſicut Eſaias loquitur, Dn̄s omnium noſtrum peccata conjecit, qui per hircum maledictionis figuratus eſt. In hunc ſi credat Anaſtaſius Iudæus ſuſpenſus, ſciat, nequaquam fidem & religionem Abrahæ, Iſaac & Iacob abiicere, ſed ſequi & in æternum ſalvatum iri. Dum hæc loqueretur illi D. Iacobus, Anaſtaſius oculos ſuos nunquam avertit, ſed attentiſſimè omnia audivit, ſed nihil prorſus reſpondet. Accidit autem, quod omnibus mirum videbatur, quod toto hoc tempore, quo D. Iacobus cum illo loquebatur canes pendebant juxta miſerum hominem, perinde ac ſi mortui eſſent, & à morſibus prorſus abſtinebant. Poſtquam igitur D. Iacobus diſceſſerat, quem pleno vultu abeuntem Iudæus aſpexerat, & è monte deſcendens jam jam equum cõſcenſurus eſſet, illico ad eum mittitur, ne gravetur denuò Iudæum accedere, qui ejus colloquium expetat. Apud quẽ cum inſtarent alii quoque, D. Iacobus denuò in montem aſcendit. Quem eminus conſpiciens Iudæus alloquitur decies

cies & amplius ingeminans: Ah Domine, Ah Domine. Age quæſo, ne ſine baptiſmo moriar. Cui D. Jacobus: Credisne his, quæ ex Sacris literis Prophetis tuis de Chriſto tibi propoſui? Reſpondet Iudæus: Maximè, quod Deus novit. D. Jacobus addit: Vide ne id facias ſpe vitæ redimendæ & declinandæ mortis. Imo, inquit Judæus, nihil horum cogito, vides enim, quàm miſerè à canibus dilaceratus ſim. Non terrenam vitam quæro, ſed ad æternam aſpiro, Agite quæſo, ne morte præventus ſine baptiſmo ex hâc vitâ migrem. Non enim vivere ſed mori cupio, modo baptiſmus mihi contingat. Cum igitur D. Jacobus videret: Iudæum ſeriò baptiſmum petere in vera fide in Chriſtum, ipſum teſtimoniis de Chriſto ex aliis Prophetis petitis amplius confirmavit. Qua confeſſione permotus paſtor Weiſſenſteinenſis, ſtatim ad nobilem in oppidulo mittit, & quid factum ſit nunciat. Quia verò veſpera erat, & D. Iacobus domum properabat, cum in Confeſſione conſtans permaneret Iudæus ſuſpenſus propius

pius terræ Demiſſus baptizatur, & ſtatim poſt acceptum baptiſma ſtrangulatur. Hujus rei teſtes ſunt aliquot centena hominum, qui auditores & ſpectatores fuerunt.

Hanc hiſtoriam cum hoc Anno 1559. Balthaſari à Giltlingen D. Iacobus in itinere narraſſet, quod Auguſtam ad audiendam publicationē Actorum Colloquii Wormatienſis mandato Ducis Chriſtophori ſuſceperat, rogavit is, ut deſcripta per D. Iacobū ad ipſum tranſmitteretur. Id cum à D Iacobo factum eſſet Balthaſar à Giltlingen typis excudi ſtatim curavit, quod eodem anno factū eſt.

Mittitur Auguſtā.

Eodem quoq; anno menſe Iulio Göppinga Auguſtam denuò evocatus eſt 11. die Julii, unde 18. ejusdem domum reverſus eſt Menſe Octobri die 4. ad Comitem Ludovicum ab Oettingen vocatus D. Jacobus ad viſitationem Monaſteriorum Rhor & Zimmern, in quorum altero Studioſi alebantur ad rationem doctrinæ & ſtudiorum, quæ in

Viſitat eccleſ. & Monaſteria Oettingenſia. II.

Mona-

Monaſteriis Ducatus Wirtembergiæ obſervatur.

Et cum in clauſtro Zimmern magno numero virgines alerentur, quæ tamen propemodum omnes ad noſtram religionem acceſſerunt, ſedulò hortatus eſt D. Jacobus Comitem Ludovicum, ne bona Monaſterii in privatum uſum cōverteret, quod facere juſſus erat à Chriſtophoro Duce Wirtembergico.

Reformatio Lavingana.

Anno ſexageſimo, cum in acidulis valetudini operam daret Dux Wolffgangus Palatinus Rheni, cum Duce Chriſtophoro Wirtembergico agit, ut ad tempus opera D. Jacobi in inſtaurāda Eccleſia Lavingenſi ipſi concederet. Erat enim eo tempore Eccleſia Lavingenſis per ſectarios miſerè perturbata civibus inter ſe variis opinionibus diſſentientibus; quorum alii Pontificiam Religionem profitebantur; alii partes Zvvinglianorum ſequebantur; alii Schvvenckfeldii perverſa dogmata amplexi; alii Anabaptiſticos errores tueri conabantur. Quo loco Chriſtophorus Laſius Eccleſiæ præfectus erat. Cum

autem

autem & ipſe ſuas opiniones tueretur, & populum variis doctrinis diſtractum minus conſideratè & ad ædificationem tractaret, ab officio remotus eſt. Cum igitur vicariam operam præſtaret D. Jacobus, & conciones ad captum populi accommodaret, & fundamentum doctrinæ firmū poneret, & quantum fieri potuit, lenitati & manſuetudini juxta admonitionem Paulinam ſtuderet, auditores frequentes & benevolos atque attentos habuit etiam illos, qui in quibusdam partibus à puriori doctrina ſeducti ab aliis, diſſentiebant.

Cum autem poſt datas quampluri-mas D. Jacobi Conciones Lavingæ habitas & impreſſas, viſitatio quoque inſtitueretur, non modo in urbe Lavingana, ſed in totius Palatinatus ſuperioris parte, quæ Duci Wolffgango poſt obitū Electoris Palatini Ottonis Heinrici ceſſerat, autoritate, voluntate & juſſu ejusdem Principis inſtitueretur, plerique in conſpectum Dominorum viſitatorū vocati, quorum fides ſuſpecta erat, plerique in viam revocari ſe paſſi ſunt. Ex-

cepto

cepto Adamo Reiſero, qui Caſp. Schvvenckfeldii errores propugnare ſtudebat.

Poſtquam ergo ad pium conſenſum cives per gratiam Dei miniſterio D. Jacobi redacti eſſent, declarata ſummâ gratitudine erga ipſum, cum ferè per Angariam integram ipſorum Eccleſiæ præfuiſſet, in pace dimiſerunt, qui 25. ſeptembris ad ſuam Eccleſiam & familiam Gœppingam reverſus eſt.

Erant quoque eodem tempore Moniales in urbe, in quorum templo D. Jacobus etiam aliquot conciones habuit, in quibus regulam explicavit, quam Salvator & Apoſtoli ipſius omnibus verè fidelibus & in Chriſtum credentibus commendaverunt. Et quâ ratione cum hâc Regulâ Monialium Regula diſſentiret, collatione ſincera facta demõſtravit. Etſi verò Conciones ipſius quoque audiverunt Moniales, & quædam etiã, juniores præſertim, ab illis non abhorrerent, ſenioribus tamẽ per Pontificios Dillingenſes in errore confirmati, de deſerendo Monaſterio cogitant. Quod

cum

cum factum eſſet, Dux Wolffgangus in meliorem uſum convertit, & ſcholam Illuſtrem inſtituit, in qua Juventus ad omnia ſtudia humanitatis & literarum, inprimis verò in Theologiâ erudiretur, ut habeat, quorum operâ in Eccleſiis & ſcholis ad propagandam doctrinam veritatis, & pium inter Doctores in eadem conſenſum conſervandum uti poſſit.

Vocatur Regiomontem.

Anno 1551. cum orta eſſet inter D. Andream Oſiandrum & D. Joachimũ Mörlinum cæterosq; Theologos controverſia de Juſtificatione fidei coram Deo, controverſia, eaque conſilio Philippi Melanthonis & Brentii ἀμνηςίᾳ aliquantulum ſedata eſſet, à Duce Alberto Marchione Brandenburgenſe, D. Jacobus ejuſdem Principis literis clementiſſimis, & oblato honorifico Stipẽdio Regimontẽ ad ſacrarum literarum profeſſionem ſuſcipiendam vocatur. Verum & Ducis Chriſtophori Wirtembergici, qui illum dimittere noluit, & propria voluntate in ſua vocatio-

cation e, quæ ipſi Göppingæ contigerat, permanet.

Eodem anno Menſe febr. ad Synodum & viſitationem Monaſteriorum à Ludovico Comite Oettingenſi D. Jacobus Herburgum vocatur. Quibus confectis Calendis Martii Göppingam ad familiam rediit. *Viſitatio Oettingēſis. 3.*

Menſe Aprili unà cum Theologis D. Jacobo Beurlino, & D. Theodorico Schnepfio, aliiſque Politicis Conſiliariis Erphordiam profectus eſt ad conventum Theologorum Electoris Palatini Friderici, Auguſti Electoris Saxonici, Landgravii Haſſiæ &c. Qui conventus duas ob cauſas inſtitutus erat. Primùm, ut de Palatino Electore deliberaretur, qui aliam & diverſam à Confeſſione Auguſtanâ doctrinam profitebatur. Deinde, quomodo occurrēdum ſit perverſis conatibus Pontificiorum, qui executionem Concilii Tridentini meditabantur. *Mittitur ad Conventum Erphordienſem.*

Ubi initium factum eſt ſcripti, quod poſtea plurimiorum operâ D. D. Brentii, & D. D. Ludovici Grempii auctum,

ctum, ſub titulo: Recuſatio Concilii Tridentini, latinè & germanicè editũ eſt. In quo doctrina & mores Romanorum Pontificum ita deſcribuntur, ut mediocriter in Religione Chriſtiana inſtitutus facilè intelligere poſſit, Pontificem Romanum Antichriſtum verum eſſe, de quo Chriſtus & Apoſtoli concionati ſunt. Tanta enim abominatio eſt & tyrannis, quam in poſtremis annis exercuit Romanus Draco, ut meritò eam omnes pii deteſtentur.

Viſitatio Eccleſiarũ Palatinẽſium.

Eiuſdem anni Menſe Junio à Duce Wolffgango Palatino Rheni D. Jacobus denuò ad viſitationem Eccleſiarũ ſuperioris Palatinus vocatus eſt. Cujus cauſa ad feſtum uſque Apoſtoli ibidem commoratus eſt.

Quæ enim Doctrina, vita & mores, quantaque cujusque paſtoris fides in obeundo ſuo munere, quis præfectus in religione verâ addiſcenda, & quomodo vita & mores auditorum Doctrinæ Evangelii reſpõdeat, poſtquam ſingulis in Locis accuratè exploratum

eſt,

eſt; qua ratione præſcriptum verbi divini, quæ emendationem requirebant, corrigenda eſſent, graviter quoque deliberatum eſt.

In Menſe ſeptembri circa ejuſdem finem, cum Dux Chriſtophorus Göppingæ in acidulis valetudinis curandæ cauſa lavaret, Rex Navarræus Legatum (Jacobum Turnium, appellatum) ad eum mittit, per literas rogans, ut Dux Chriſtophorus Theologum ad Aulam Regis Galliarum mitteret, cujus conſilio in Synodo Poſſiacenſi, uti poſſet. Poſtquam enim multis annis per univerſam Galliam horribiliter in omnes ſævitum eſſet, qui Pontificios errores, inprimis verò horribilem Idololatriam Miſſæ abominarentur, per gratiam Dei, & ſanguine tot martyrũ effuſo, tandem eò perductum fuit Religionis negotium, ut de controverſis articulis præſente Rege Carolo IX. Regina Matre, Rege Navarræ, Principe Condenſi, & reliquis ordinibus Regni Poſſiaci inter Pontificios & Huguno- *Iter in Galliam.*

guno.

gonotas, quos ſic vocabant, collatio modeſta inſtitueretur.

Cum igitur Rex Navarræus non confirmato judicio in Religione eſſet, quam etiam utcunque princeps Condenſis intelligebat, operam Theologi expetebat.

Negotio autem cum conſiliariis accuratè deliberato, Dux Chriſtophorus non unum ſed tres Doctores Theologos mittendos exiſtimavit, ut uno deficiente vel propter valetudinem, vel alios itineris difficultates & dubium eventum alter ſuo conſilio Regem Navarrænum juvare poſſet.

Quapropter D. Jacobo jam ad iter expedito, cum uxori & liberis valedixiſſet, & iter Gœppinga ingreſſus eſſet, poſtquam Stuttgardiam 27. Menſis Novembris deſcendit, eidem D. Jacobus Beurlinus Theologus profeſſor Tubingenſis, & M. Balthaſarus Bidembach concionator aulicus Ducis Chriſtophori adjungitur. Quibus etiam propter peritiam & uſum Gallicæ linguæ Nobilis Melchior à Salhauſen, Con-

Digitized by Google

Conſiliarius, & Wilhelmus Carioth, ſcriba adduntur, quorum operâ cùm in itinere, tùm in ipſo negotio tanquã interpretum Theologi uti poſſent.

Etſi verò D. Beurlinus Duo Chriſtophoro ſupplex factus diligenter peteret, ut ipſi parceretur, tamen in ſententia per manente principe, cum tandem ſe hoc iter ſuſcepturum conſentiret, denuò ſe Tubingam contulit, ut res ſuas domi aliquo modo diſponeret. Quâ occaſione arreptâ D. Jacobus, qui & ipſe invitus hanc provinciam, & nõ niſi perſuaſus à Duce Chriſtophoro, in ſe ſuſceperat, ipſe quoque ac chariſſimam conjugem & liberos revertitur, vt etiam ſuas res melius diſponeret, adeoque ſeipſum & uxorem majore ſolicitudine liberaret.

Secundo enim die octobris, cum iter ingrediendum eſſet, omnibus creditoribus vocatis prius ſatisfecit. Et quod ipſi debebatur, ſcheda conſignatum uxori tradit, ſi fortè non rediret, ne quis viduæ relictæ hoc nomine moleſtus eſſe poſſet. Deinde convocatis, uxore,

liberis, & tota familia perinde ipſis valedicet, ac ſi lethaliter decumbens jam ex hoc mundo ad æternam patriam migrare vellet, eos inprimis pietatis in Deum admonens, ut conciones publicas frequenter audirent, diligenter pro ipſo orent, Mater liberos ſibi ratione diſciplinæ inprimis commendatos habeat. Liberi autem matrem colant, venerentur; honorent, eique omnem obedientiam in timore Domini præſtent, eamque nullâ re offendant, inter ſeſe & cũ omnibus aliis, domi & foris, pacificè, piè, caſtè, ſanctè & modeſtè vivant, nihil dubitantes, ſi maximè ex Gallis non reverteretur, Dominum ipſis verum patrem affuturum, & melius quàm vivẽte patre ipſis proſpecturum. Neque etiam de Ducis Chriſtophori clementiſſimâ erga ipſos voluntate dubitare debere, qui D. Jacobo, quocunque eventu itineris largiſſimam promiſſionem fecerit, ſe hujus officii perpetim memorẽ, & talem erga ipſam uxorem & liberos declaraturum, ut intelligant Celſ. ipſius hanc D. Jacobi promptam voluntatem & ſu-

& ſuſceptum iter gratiſſimum fuiſſe.

His peractis, cum equum conſcenderet, in corde non minus, quàm tota familia perturbatus, quem dolorem tamen altum corde premebat, uxor liberi & familia ipſum lachrymis & precibus & piis votis dimittunt & proſequũtur. Id quod etiam magna pars civium, quæ ædibus parrochiæ aſtabat, fecerat. Plerique enim in ea opinione erant, D. Jacobo ejusmodi pericula objectum iri, ut ſuos in his terris non amplius ſit viſurus, ideoque ipſi tanquam ultimum Vale dicebant.

Secundo ergo die Octobris Stuttgardiam reverſus ſecum maximum natu filium Jacobum Stuttgardiam adducebat, eo conſilio, ut comes itineris factus, in hac ætate etiam exteros populos & Regiones videre licuiſſet. Cui D. Hieronymus Gerhardus Ducis Chriſtophori Vice Cancellarius & Jacobi olim Præceptor & fautor ſingularis, ſe quanta potuit animi cõtentione opponebat, Sibi enim nequaquam conſultum videri ajebat, ut in hâc tenerâ ætate puerum

12. circiter annorum ſecum abduceret D. Jacobus. Etſi verò hoc ſibi difficulter D. Jacobus perſuaderi paſſus eſt, tamen cum tanta vehementia, & tàm acriter inſtaret Vicecancellarius, tandem & ipſe conſenſit, & filium Jacobum Göppingam remiſit. Non autem humano affectu D. Vicecancellarium tàm acriter ſe D. Jacobo oppoſuiſſe, eventus & ejusdem diei triſtiſſimus caſus docuit. Cum enim vix urbem egreſſi eſſent, & eſſedarius natione Hungarus ad proximum montem, quâ Leonbergam itur, quatuor equis & curru appelleret, ebrius, per anguſtiſſimā viam quatuor equos non ordine ſe invicem ſequentes, ſed unà eodem ordine ad duo latera ligati incederent, ut anguſta via illos capere non poſſet, ſimul currum cum quatuor equis in profundam foſſam præcipitavit, quo caſu unus ex quatuor equis ſtatim periit, tertius duobus illæſis permanentibus vix evaſit. Currui igitur ſi filius Jacobus inſediſſet, quod D. Jacobus contendebat, triſtiſſimo illo caſu extinctus fuiſſet, quod Dominus clementer avertit. Su-

Digitized by Google

Superato monte cum equites unà incederent D. Jacobus Beurlinus, & D. Jacobus Andreæ: Beurlinus cum eodem de hoc caſu collocutus inquit: Hic caſus præſagio non caret. Sicut enim quatuor equis currus vectus eſt, quartus mortuus, tres evaſerunt; Sic noſtrũ quoque in hac legatione quatuor ſunt, & unus ex nobis morietur, tres revertentur. Etſi verò D. Jacobus hanc perſuaſionem illi eximere magno ſtudio conabatur, parum tamen proficiebat, nec toto hoc itinere illam opinionem deponere potuit, quam præſagium fuiſſe eventus docuit. Ipſe enim pariſiis peſte extinctus eſt, ſicut paulo poſt dicetur.

Pervenims autem eodem die, qui fuit tertius Octobris Leonbergam, altero Phorzemium in Ettlingen per noctantes. Quinta die Raſtetum; inde ſexto Saufferheim, ubi Rhenum trajecimus pranſi, Hagenoam perveniemus. Septimo Tabernam Alſatiæ devenimus in Mittelbrun pernoctantes; Octavo prãſi in Bockenheim, in Sarmund noctem

tranſegimus. Nemo Sarburg appuliſimus, ad S Nabor noctem agentes, vicũ primum in quo Gallicæ linguæ uſus incolis vulgaris eſt. Decimo pranſi in Kelsbruck à prandio Metim pervenimus. Sic enim conſtitutum erat à Rege Navarræno, ut Galliarum Regis Caroli IX. in comitatum & ſalvum conductum recepti ab omni injuria tuti Lutetiam perduceremur.

Ubi admodum ſuaviter à Gallis, qui ſe à Pontificia Religione ſegregaverãt, excepti & tractati ſumus. In turrem templi editiorem perducti cum eſſemus, monſtrata ſunt nobis loca caſtrorum, cum à Carolo V. civitas obſidione cincta eſſet. Cum igitur toto hoc die ibi ſubſtitiſſemus, ut equi reſpirarent, duodecimo die denuò iter ingreſſi ſumus. Quibus Regius Comitatus adjunctus fuit quatuor famulis equitibus ſtipatus, quem profoſum appellare ſolent. Qui mirabili aſtutia uſus, cum nos ſumptibus Regis Galliarum Lutetiam perducere juſſus eſſet, ipſe cum quatuor famulis ſuis quæſtum faciens uberrimum,

mum, Ducis Chriſtophori legatorum ſumptibus iter confecit.

Pervenimus autem duodecimo die in Vilſonſem; Inde Frain, decimo tertio Verbunum, oppidum ampliſſimum acceſſimus, quod Rex Galliarum etiam una cum Meti & Tullo Imperio Romano adeptum deceptis civibus falsâ perſuaſione, quod tranſire duntaxat vellet, fraude & dolo ademit & occupavit, In Clare monte pernoctantes. Decimoquarto ad S. Menahum appulimus, noctem in vico traducentes, qui propter Idolum D. Virgini Mariæ conſecratum à L'espin, hoc eſt, ad Spinam, appellatur. Inde per Campaniam ambulantes Chalonam 15. ſalvi pervenimus, oppidum egregium, cujus mœnia non Lapide, ſed optima creta conſtructa ſunt. Sicut & domus quoque ex eadem materia pulcherrimæ extructæ, quâ loco lapidum utuntur. Eſt autem hoc memorabile, cum ejus regionis latiſſimus ſit ad quatuor partes mundi campus, unde etiam regio nomen Campaniæ habet, nullus tamen vicus aut pagus ſi-

cut nec nemus & ſylva aut arbores ullæ conſpiciuntur: ſed ager duntaxat fertiliſſimus frumentorum magnam copiã Galliæ ſubminiſtrans. Sunt autem vicus & pagi in vallibus extructi, quos niſi quis proximè accedat, regia via per Campaniam incedens nemo videre poteſt.

A Chalon, eſpernæ pervenimus oppidulum ad flumen Matronam quod le Marne appellant, ſitum. Vbi è regione transflumen optimum vinum naſcitur, quod WinDei Galli appellant. Id cùm vehementer D. Jacobo Beurlino gratum eſſet, equo inſidẽti hauſtum propinans inquit: Quæſo adhuc ſemel Vin Dei, den Hergotts-Wein / bibamus. Quis enim novit, quando iterum bibituri ſimus, præſagii ſui non oblitus, quod primo die hujus ſuſcepti itineris comitibus ſuis D. Jacobo inprimis propoſuerat. Inde 16. ad Dorman accedentes noctem tranſegimus, ubi etiam nomini loci ſatisfacientes ſuaviter dormivimus. A Dorman continuo itinere 17. Chaliatirum pervenimus, ad flumen

men Matronam poſitum. Inde La ferte quod oppidum Principis Condenſis nuper ſubjectum erat, & eodem die 18. oppidum Meauſum quod decem milliaribus Gallicis Lutetia diſtat.

Poſtquam verò altero die iter Lutetiam verſus inde ingreſſi ſunt, priusquam ad vicum perveniſſent, cui nomen eſt Claye, in ejuſmodi pluviam ſimul omnes incidunt, ut metuerent ſe equis inſidentes ſuffocatum iri, cum Eſſeda & quæ ei impoſita erant, faſciculis incluſa tecta non eſſent, literæ, quæ Ducis Chriſtophori nomine ad Regem Galliarum Carolum IX. Regem Navarræ, Reginam matrem, Principem Condenſem, & Amiralem, cæteroſque Principes ſcriptæ, quod madefactæ eſſent, propemodum omnes perierunt, ut vix honeſtè reddi potuerint.

Quo nomine cum vehementer triſtarentur Legati Wirrembergici paulo poſt didicerunt, ſingulari Dei diſpoſitione factum eſſe, ut periculum vitæ declinarent, in quod incidiſſent omnes, niſi hac pluvia literæ madefactæ fuiſſent.

Cum enim per legatum Gallicum in legatione peteretur, eam Petrus Paulus Vergerius Epiſcopus quondam Juſtinopolitanus & Romani Pontificis ad Carolum V. Imperatorem, & Ferdinandum Cæſarem fratrem ejus Legatus per Germaniam ſibi imponi optabat & urgebat. Quæ tamen illi negata fuit, quod Theologicis in controverſiis exercitatus minimè eſſet, & ad obeundam hanc legationem in negotio tàm gravi minus idoneus judicaretur. Vel indignatione & cupiditate vindictæ permotus, quod in petitione ſua repulſam paſſus eſſet, vel imprudentia peccans, faſciculum literarum D. Jacobo per Nepotem Aurelium Göppingæ tradi curat, quem D. Jacobus ſecum in Galliam perferat Cardinali Borbonio inſcriptas. Faſciculum hunc aſpiciens D. Jacobus, Aurelio Nepoti Pet. Pauli Vergeni dicit: Vide ne fortè ſint literæ Uriæ. Aurelius hanc vocem ægrè ferens ait D. Jacobo: Quo loco habes Dominum meum, judicas ne eum eo ingenio, ut tale quid face-

faceret. Cui D. Jacobus: Tuus Dominus homo eſt. Aurelius contra: Meus Dominus, habet in Galliis bonos viros magni nominis, qui in Religione ſinceri, & ipſius ſummi amici ſunt. Ad eos ſcripſit. Ideo non eſt quod tibi hoc nomine metuas. Difficulter autem acquieſcens D. Jacobus tandem literas accepit Cardinali in Galliis reddendas. Cum igitur pluvia, de qua paulò ante dictum eſt, literas ad Regem & Principes ſcriptas madefeciſſet; Faſciculus Vergerianus idem malum, ſeu potius bonum expertus eſt. Quem cum ultra menſem nobiſcũ retinuiſſemus, quòd propter obitum D. Beurlini, qui Lutetiæ peſte extinctus eſt, ſicut paulò poſt, referemus, legatis Wirtembergicis ad Aulam Regiam accedere non liceret: poſtea operculum ſcriptorum, quæ in Faſciculo continebantur, ad eò vitiatum fuit, ut D. Jacobus nequaquam Cardinali cui inſcriptæ erant, exhibere auderet. Re igitur cum Collegis deliberata operculum Faſciculi, illæſis Vergerianis literis, quas Faſciculo con-

Digitized by Google

tineri arbitrabantur , prorſus tollendum judicarunt, quod in quatuor angulorum partibus planè corruptum, adeoque conſpici potuerit, quid in eo contineretur. Quo ſublato nullas prorſus literas Vergerii incluſas invenerunt. Sed duntaxat libellus Cardinalis Veneti de Laudibus Sodomiæ, & hiſtoria de Papa Johanna 8. depicta continebatur. Vnde autem & à quo mitteretur, ne ſyllaba quidem operculo inſcriptum erat. Quod cum vidiſſent Legati unà cum D. Jacobo Deo immortales gratias agunt, quod tàm mirabiliter per iſtam pluviam eos ex ſummo periculo liberavit. Si enim Faſciculus ille Cardinali redditus fuiſſet, in ſummum vitæ periculum non modò D. Jacobum, ſed cæteros quoque ejuſdem Legationis ſocios conjectum iri dicebant, quibus ingenia Gallorum nota ſunt. Apud quos vix major incuria cuiquam accidere poteſt, quàm ſi quis ſuppreſſo nomine ſine literis vel nudam vel maculatam papyrum alteri tranſmittat. Ad vitandum igitur & effu-

effugiendum hoc periculum, ſimul opusculum & abominandum ſcriptum de Laudibus Sodomiæ impreſſum in ignem conjiciunt & comburunt.

Poſtquam ergo D. Jacobus ex Gallia reverſus hâc de re Vergerium compellaſſet, isque D. Jacobum reconciliatum optaret, interceſſores graviter ipſum reprehenderunt, quod eum cum cæteris Legatis Faſciculo exhibito in ſummum diſcrimen vitæ adduxerit, reſpondet tandem: Pono caſum, quod voluerim D. Jacobum interficere, ſi eſt Chriſtianus, debet mihi ignoſcere.

Quod adeo D. Jacobus in ipſo non vindicavit, ut ægrotantum ſæpius acceſſerit, eique omnia humanitatis officia uſque ad extremum vitæ Spiritum exhibuerit, & poſtremum officium charitatis præſtando concionem Funebrem, Tubingæ, ubi ſepulſus eſt, habuerit, in qua conſtantiam ipſius in Religione verâ commendavit.

Decimo nono die Octobris, cum Lutetiam ingreſſi eſſent, in hoſpitio ad Terream Crucem divertunt, quod

Germanorum conſuetum hoſpitium eſſet. Quibus per itineris Comitem Jacobum Turnium, Rex Navarræ ſignificaverat, ne hoſpitium egrediantur, ſed ſe domi contineant, donec in aulam vocentur. Quod ſi ſecius fecerint, & periclitati fuerint, ſe excuſatũ fore.

Vigeſimo primo die Octobr. D. Jac. Beurlinus ſociorum ſuorũ D. Jacobi, & M. Balthaſaris Bidembachii animos ſolicitabat, ut ipſum in Sorbonam propter nominis celebritatem comitarentur. Perinde enim eſſe aciebat, ſi Sorbonam non vidiſſent, ac ſi quis Romam profectus Papam non vidiſſet. Etſi verò D. Jacobus & M. Balthaſar diligenter monebant, mandatum Regis Navarreni non contemnendum, eſſe, ne ſibi mala conſcientia periculum vitæ accerſant, nec Dominum tendandum eſſe; vicit tamen ſuis perſuaſionibus Beurlinus, ut eodem die ſe in Sorbonam conferrent: ubi parum aberat, quin in periculum vitæ incidiſſent, propter litem, quæ M. Michaëli Tillero E-

ro Electoris Palatini Friderici concionatori aulico interceſſerat, qui unà cum D. Boquino etiam in Galliam ablegatus erat. Sorbonam igitur ingreſſi ante omnia Lectorium Theologorum petunt, quod apud exteros celebre eſt. Id verò dum vident non modo auguſtum, ſed etiam valdè obſcurum, non mirantur SCOTUM in eo ſuam Theologiam obſcuriſſimam & omni luce carentem profeſſum eſſe. Et cum ſoli eſſent unà cum Comitibus, quos habebant famulos D. Jacobus Cathedram in angulo lectori obſcutiſſimo extructam conſcendens, & infra illum ſtantem habens M. Balthaſarum Bidembachium S. Theologiæ Doctorem creat & pronunciat, cui Actui interfuerunt D. Beurlinus, qui Academiæ Tubingenſis paulò ante ſuſceptã in Galliam profectionem Cancellarius à Duce Wirtembergico Chriſtophoro deſignatus erat; ſimiliter quoque Melchior à Salhauſen, Nobilis Wilhelmus Carioth, Secretarius unà cum reliquis mini-

miniſtris, qui in comitatu ipſorum fuerunt. Deſunt hic duo folia.

Hæc poſtquam D. Jacobo nunciata ſunt, major perturbatio animi ipſi acceſſit, quod D. Beurlinum vehementer dilexerit, propter conſuetudinem plurimorum annorum, quæ inter ipſos eo tempore præſertim interceſſerat. cum Carolus quintus victoria contra quoſdam Germaniæ principes conſecutus, & res reliquorum ordinum Auguſtanæ Confeſſionis afflictiſſimæ eſſent. de quibus ſuprà dictum.

Dum ergo D. Jacobus ſpe dubia vitæ decumbit, cæteri ad S. Dionyſium Theſaurum Regis, qui in templo ejus loci cuſtoditur, contemplandum admittuntur. Poſtquam autem & ipſe nonnihil convaluiſſet, idem templum ingreditur ad videnda monumenta Regum Galliæ Ludovici undecimi & Franciſci primi magnificè extructa, ſimul & imaginem crucifixi Chriſti ex puro auro confectam. Similiter quoq; unicorum, quod ſub altari reconditum exteris petentibus monſtratur.

Cujus

Cuius altitudo tanta fuit, ut extremis digitis pedum inſiſtens digito ejus ſummitatem attingere non potuerit. Vbi etiam periclitati ſunt, quod ad imaginem crucifixi in ea ſpeluuca abſconditam ſe inclinare noluerint.

Poſtquam ergo in ſeptimum diem ad S. Dionyſium ſubſtitiſſent, denuò in Aulam Regis Galliarum vocantur. Qui Lutetiam redeuntes, qua tranſeundum erat, Montem martyrum conſcendunt, in quo Monaſterium extructum eſt, unde tanquam loco editiore amplitudinem urbis conſpicere potuerunt. Inter urbem Lutetiam & S. Dionyſium via pulcherrima lapidibus ſtrata eſt, in qua tres columnæ altiſſimæ lapideæ conſtructæ ſunt, ad memoriam S. Dionyſii, quem Lutetiæ decollatum, & caput manu geſtantem toties quieviſſe iis locis dicitur, donec ad eum locũ pervenit, ubi nunc in honorem & memoriam ipſius templum extructum, à quo Suburbium quoque nomen habet digna fabella quæ à ſuperſtitioſis hominibus credatur.

Lute-

Lutetiæ pranſi, cum veſperi ſero ad S. Germanum perveniſſent, ubi Rex Galliæ commorabatur in caſtro ampliſſimo, parum aberat, quin ipſis in platea pernoctandum fuerit. Quorum tãdem miſertus quidam Gallus, cum peterent ſaltem equos in locum tutum perduci, juxta quos ſub tentorio pernoctare cupiant, in humilem caſam introducuntur, ad eum modum extructum, quo aviaria noſtra, quibus parices capiuntur. Ut autem noctem commodè traducerent, ex culina publica, ſi quid afferri poſſit ciborum, curant. Ad quam rem cum hoſpes expeditus eſſet, ſimul quoque bonum vinum comparatur. Hilaritatem autem cum ſimularent magis quàm experirētur Legati hoſpes Secretarium ipſis adjunctum accedit, & eos bono animo eſſe jubet, Se enim ipſis RECENS STRAMEN daturum, ut ſuaviter dormire poſſint. Quod Secretarius ridens cum referret Theologis, majore cachinno ab ipſis accipitur. Erat autem ſtramen minimè recens, ſed à moribus comminctum, fœtidiſſimumque,

Digitized by Google

que, ut ejus fœtorem, difficulter perferre poſſent. Sequenti die per Iacobum Turnium, jubentur ſe conferre in oppidum Poſſiacum, & Regis Navarræ mandatum expectare.

Die ſeptimo ejuſdem ex Poſſiaco oppido ad S. Germanum per Regem Navarrenum evocati cum eſſemus, die octavo præſente principe Condenſi nos in Colloquium admittit, & de felici noſtro adventu nobis gratulatur, & ſimul ſe dolore indicat, quod Colloquium Poſſiacænum ſolutum eſſet, priuſquam nos acceſſimus. Quod Beza impia ſua & in Chriſtum blaſphema oratione perturbaverat.

Cum enim mentionem Cœnæ Domini coram Rege, Regina matre, & delectis ordinibus regni faceret, in hæc impia verba erupit: Quantum diſtat ſummum cœlum ab infima terra; tantum corpus Chriſti à Pane Euchariſtiæ diſtat. Quibus auditis adverſæ partis & Confeſſionis Pontificiæ ſocii ſurrexerunt, neque amplius Bezam audire voluerunt. Poſtquam verò nomine Regis ſilen-

ſilentium imperatum fuit, Bezæ orationem ſuã abſolvere permiſſum eſt. Propoſuerat autem Cardinalis Lotharingus Carolus conditionem pacis & concordiæ inter utriusque partes Religionis in regno Galliæ confirmandã. Confeſſionem Auguſtanam, quam coram Carolo V. Rom. Imperatore quidã principes & ordines Romani Imperii Auguſtæ Anno 1530. profeſſi ſunt. Eam ſi ſubſcriptione ſua cõfirmaverint & maplexi fuerint Beza cum ſociis, perpetuam quoad religionem in regno pacem fore. Quam conditionem cum Beza ſociique ejuſdem Confeſſionis Theologi recuſarent, ulterior collatio de Religione diſſoluto celeberrimo regni cõventu ſuſcepta amplius non fuit.

Id cum videret Beza, vehementer perturbatus fuit. Magni enim nominis viris ipſius impiam editam vocem nõ placuiſſe minimè ignorabat. De qua Joh. Monluccius, Epiſcopus Valentianus D. Jacobo dixit: Elapſa eſt Bezæ vox inconſiderata, ſi viros bonos & eruditos in conſilium adhibuiſſet, minimè factũ

fuiſſet,

Fuiſſet, qua ſuſcepta de Religione actionem, adeoque totum negotium perturbavit. Ea de re à D. Jacobo quoque cum compellatus eſſet, maximè verò quod conditionem oblatam à Carolo Lotharingo de Auguſtana Confeſſione ſubſcribenda, non amplexus eſſet, reſpondit: Cardinalem non ſeriò id propoſuiſſe, neq; illum unquam ſubſcripturum fuiſſe. Cui D. Jacobus, eò facilius ipſum confundi potuiſſe, ſi à ſe oblatam conditionem pacis & Concordiæ primus reſpuiſſet. Toto igitur tempore, cum à propria conſcientia flagellaretur, quaſi ſemimortuus obambulabat triſtis, cum videret, occaſionem colloquendi de religione ampliorem prorſus amiſſam eſſe. Undecimo die denuò ad Regem Navarræ unà cum Palatinis Theologis in Aulam Regis ad S. Germanum vocatis, ſcriptum Theologorum Wirtembergenſium Regi Navarreno per Melchiorem à Salhauſen Politicum exhibetur, quod Theologi de verâ & germana ſententia Auguſtanæ Confeſſionis in Articulo de Cœna Domini per Regem

Na-

Digitized by Google

Navarrenũ ſcribere juſſi erant. Id quod etiam Legatis Palatini injunctum erat. Quod pleriqueita accipiebant, quoniã Palatini Theologi (inter quos D. Petrus Boquinus Gallus quoque erat) per omnia cum Beza & ſociis ejus facerent, quod Rex Navarræ hac ratione ipſos committere voluerit.

Etſi verò poſt ſcriptum oblatum per politicum ſibi adjunctum nobilem negotium ſedulò urgebãt, Theologi Wirtembergici, nullum tamen reſponſum aut declarationẽ voluntatis Regis Navarreni, penes quem tum ſumma in regno autoritas erat, impetrare, aut extorquere potuerunt. Interea 17. apud D. Germanum Bezam in conclavi Reginæ Navarrenæ concionantem audivimus, qui in eâdem menſâ ex adverſo Reginæ Navarræ unâ aſſidentis, ſedebat, & codice Bibliorum lingua Gallica impreſſorum in menſa propoſito, hiſtoriã Jonæ prophetæ explicabat. Dum verò Pſalmi Gallicè canuntur ante concionem, virgines Gynecæi in Eccleſiaſtico illo congreſſu nendo muliebria curant,

aſtan-

aſtantibus illis junioribus, perinde ac ſi res profana ageretur.

Decimo nono Legatos Wirtembergicos Admiralius Heros ad Colloquiū vocat, præſente uxore ſua & principis Condenſis conjuge pia & honeſta. In quo multa & varia de Religione quærit. Deinde ſolus ſeorſim cum D. Jacobo de Ducis Wirtembergici Chriſtophori pietate & ſapientia, adeoq; etiam de regni Galliæ ſtatu loquitur, in quo eo tempore erat vir ſapientiſſimus, ſermone, moribus, inceſſu graviſſimus, quem Germanum potius quàm Gallū eſſe ignotus judicare potuiſſet.

De quo D. Jacobus ad ſocios itineris dicebat: Hic Vir eſt, ſi Dominus ſalutē regno daturus eſt in his turbis, per quē dabit. Rex enim Navarrenus animo minimè forti erat, ſed admodum timidus, ut ipſe conſolatione egeret potius, quàm ut ipſe aliis animum adderet. Qui etiam poſtea à Religione noſtrâ ad Pontificiam religionem turpiſſimè defecit. Princeps verò Condenſis, tàm frigidè omnia agebat, ut aliud, quàm Religionem

nem cordi illi eſſe, aut quærere videretur.

Cum igitur de colloquio cum Pontificiis continuando ſpes omnis præciſa & adempta eſſet, & legati Wirtembergici viderent, ſe nihil efficere poſſe, expeditionem urgent, & dimiſſionem ſimul petunt, ſi ipſorum opera Rex Navarræ non amplius indigeret.

Quapropter 21. Novembris ad Reginam matrem in conclave apud D. Germanum vocati per Epiſcopum Valentianum Johannem Monluccium qui interpretis loco erat, eos alloquitur. Aſtabat autem à ſiniſtra Reginæ Rex Navarræ ſiniſtro genu ſe ad terram uſque inclinans, cum quo loquebatur, priusquam Wirtembergicos Legatos compellaſſet. Cujus orationis hæc ſumma erat: Sibi vehemẽter dolere, quod actio de Religione inſtituta, perturbata & nõ ad optatum finem perducta ſit. Cujus cauſa Legati Wirtembergici potiſſimũ in Galliam vocati fuerint. Agere autem ſummas gratias Ill. Principi Chriſtophoro Duci Wirtembergenſi, quod pro ſalute

ſalute regni ſolicitus legatos ad componendam hanc controverſiam miſerit. Prolixè etiam de ſuâ erga ejus Celſ. voluntate teſtabatur, & pro præſtito officio animi gratitudinem ſummam promittit & offert. Inprimis autem legatos orat, ſi ab eodem Principe interrogati fuerint, quam Religionem ipſa regina mater ſequatur, ut confidenter dicant, ipſam Auguſtanæ Confeſſioni toto pectore addictam eſſe. Quibus dictis clementer eos à ſe dimittit. In eodem autem conclavi Reginæ matris cum Epiſcopus Valentianus cum D. Jacobo prolixè de Ubiquitate, ut vocant, hoc eſt, de Univerſali præſentia Chriſti ſecundum humanitatem prolixè contuliſſet, eundem cum ſociis Legationis & Palatini Friderici Theologis ad prandium, ubi prolixiorem collationem inſtituendam promitteret, invitari curavit.

Poſtquam ergo in prandio convenerunt, in loco admodum ad ejusmodi viri pompam aliis Pontificiis Epiſcopis uſitatam minimè reſpondente, in quo vix ſedilia aderant, cum hoſpites arcu-

lis inſiderent, quibus veſtimenta & aliæ neceſſaria incluſa, quas Aſini circumferebant, quando caſtra Regis ſequebatur; primùm quidem omnium de Ubiquitate diſſerere cœpit. In qua collatione nequaquam noſtrum & eccleſiarum noſtrarum doctrinam, ſed Calvinianorum commentum oppugnabat, quo diffuſionem & expanſionem ſeu extenſionem carnis, cutis, nervorum & oſſiũ ejus in omnia loca noſtris falsò affinxerunt. Eam verò cum à me quoque negari & damnari percepiſſet, (ſiquidem nihil horum unquam de Carne Chriſti credidimus) ad Articulum de Cœna Domini acceſſit, & verba Teſtamenti Chriſti: HOC EST CORPUS MEUM &c. κατὰ τὸ ῥητὸν minimè intelligenda eſſe, vehementer, humaniter tamen contendit. Uſus eſt autem ad opinionem ſuam confirmandam argumentis Zvvinglianorum & Calviniſtarum uſitatis, à proprietate corporis humani petitis, quoniam Chriſti filius Dei verum & naturale corpus aſſumpſerit inſtar aliorum hominum, loco circumſcriptum, quam cir-

circumſcriptionem quoque in gloriâ ſuâ non deponat, ideoque neceſſariò ad Tropum in verbis Teſtamenti Chriſti recurrendum eſſe. Alias enim nos in damnatam hæreſin Eutychianam incurſuros, qui veritatem humanæ naturæ in Chriſto negavit. Cui D. Jacobus: Cum modus præſentiæ Corporis Chriſti in myſterio Euchariſtiæ non ſit phyſicus, naturalis, ſed ſupra naturam cœleſtis & divinus, non neceſſe eſſe, ut corpus Chriſti propter hanc præſentiam Sacramentalem proprietates veri corporis deponat, aut in divinitatem convertatur. Fieri enim hoc virtute omnipotente verbi Chriſti, à cujus ſimplicitate nequaquam nobis recedendum ſit, ſed ſimplici fide, ut alios fidei articulos honorandum & amplectendum eſſe.

Afferebat autem Epiſcopus Teſtimonia quoque ſcripturæ ſacræ, quæ de abſentia Chriſti in terris loquũtur, Relinquo mundum, ſurrexit, non eſt hîc. Aſcendit ad cœlos. Inde venturus eſt judicare vivos & mortuos.

Ad quæ D. Jacobus reſpondit, neque

teſtimonia allata, neque articulum fidei de Aſſenſione Chriſti ad cœlos pugnare cum præſentia ſacramentali corporis & ſanguinis ejus in Euchariſtia. Siquidem aſcenſus Chriſti, etſi ſpectaculum locale & viſibile fuerit, nihil aliud ſit, quàm quod in regnum ſuum cœleſte ingreſſus ſit, qui ubique omnia impleat, & præſentiſſimus in cœlo & in terra omnibus viſibilibus & inviſibilibus dominetur, ſicut Apoſtolus apertis verbis Aſcenſum Chriſti explicaverit, Eph. 4. Aſcendit ſupra omnes cœlos, ut omnia impleat. Item: conſtituit eum ad dexteram in cœleſtibus ſuper omnem principatum & poteſtatem & virtutem & damnationem. & omne nomen quod nominatur non modo in hoc ſeculo, ſed etiam in futuro, *& omnia ſubjecit* PEDIBUS EIUS. Quæ verba apertè loquuntur de præſentia humanitatis Chriſti, & non ſolùm divinitatis præſentia. Quapropter nulla neceſſitas nos cogit, ut recedamus à ſimplici intellectu verborũ Teſtamenti Chriſti & *διάνοιαν* contra manifeſtam literam quæramus, quâ denuò

nuò in Eccleſiam Novi Teſtamenti Judaicæ umbræ & figuræ introducantur, quæ adveniente corpore obolitæ ſunt. Col. 2. Heb. 10.

Cum autem D. Petrus Boquinus, legatus Palatini Theologus ei ad latus aſſidens ex partibus Epiſcopi ſtans quædam ſubiicere vellet, Epiſcopus ei dixit: Tene tu. Et cum idem ſecundò faceret, commodus Epiſcopus illi dixit: Tene, diſputatu in Germania, mihi nunc negotium eſt cum D. Jacobo Andreæ.

Poſtquam autem multa de corporali & ſpirituali præſentia Chriſti in Cœna Domini collocuti eſſent, inopinatò Epiſcopus in aulam revocatur. Qui à menſa ſurgens librum manu ipſius propria ſcriptum Palatini & Ducis Wirtembergenſis Theologis proponebat, dicens: Hæc controverſia difficulter tolli poterit, ſiquidem utraque opinio vetuſtatis teſtimonia habet. Nam patres non ſolùm de Spirituali, ſed etiam de corporali præſentia loquuntur. Ideoque conſultiſſimum ſibi videri, ut ab utraq; parte à damnatione abſtineatur, & pax inter

partes litigantes conſtituatur. Quo diſcedente, teſtimonia Patrum à Theologis inſpecta ſunt. In quibus quam non negligenter in lectione Patrum verſatus eſſet, manifeſtè conſpiciebatur, atq; ita à convivio diſceſſum eſt.

Cum igitur nihil haberent amplius quod agerent in aulâ Theologi Wirtembergici per Regem Navarrenum clementer dimiſſi ad reditum in Germaniã ſeparant. Et 24. Novembris à D. Germano ad S. Dionyſium redeunt, quod 6. milliaribus à D. Germano diſtat, 25. inde Meauſum petunt, miliarium quatuor iter conficiunt. 27. inde per La ferre, quod caſtrum Theodori Schatiatiri appellant, perveniunt, Iter octo milliariorum. 28. deinceps Dorman ad prandium, ad veſperam portpinſium pervenere, ſimiliter octo milliariorum iter conficientes. 29. è Sperne ad prandium, ad veſperam Schalon appulſi 10. milliariorum iter conficiunt. 30. Boy prandent. Ericourt, verò pernoctant iter 9. milliariorum. Calendis Decembris par-le Duc devenerunt, Nanzia verò noctẽ

agunt

agunt iter 7. milliariorum. 2. Novembris Vay pranſi, Tullum accedũt 7. milliariorum iter 3. die hinc Nanzi petunt, inde ad portam Nicolai pervenere, ubi Idolum D. Nicolai proſtat, multis plauſtris catenarum commendatum, quas ex captivate per cultum & invocationem D. Nicolai liberati eò attulerunt, ſimiliter 7. milliarior. iter. 4. Decembris Inveuuil accedunt, & in Plaumont noctem traducunt, iter 6. milliarior 5. Decembris Sarburg ad prandium, ad noctem Mittelbron perveniũt, iter 5. milliarior. 6. Decembris Elſeszabern pranſi, veſperi Argentoratum ingreſſi ſunt, iter 5. milliariorum. 7. Decemb. qui erat dies Dominicus, cum concionem audiviſſemus antemeridianam, cum conſule, ſive AMMEISTERO pranſi ſumus & per totum diem ibi ſubſtitimus. 8. demũ die denuò iter ingreſſi Liechtenavv ad prandium veſperi Reſtetum pervenere, iter 6. milliarior. 9. Liechtenavv, inde Pforzhemiũ appulere. Iter 6. milliariorum. 10. die per Ruttmaſſen divina eos conſervante gratia ſalvi & inco-

 lumes

lumes Stuttgardiam pervenerūt. Quorum reditum Dux Chriſtophorus cum ſummo deſiderio expectâſſet, eos clementiſſimè & magno cum gaudio excepit, pro quorum ſalute vehementer ſolicitus fuit, partim, quod D. Beurlinus peſte extinctus erat, partim verò, quod metueret, ne ipſis quoque aliquid adverſi in itinere accidiſſet. Ibi D. Jacobus cum per unū diem ſubſtitiſſet, 12. Gōppingam ad uxorem chariſſimam, quæ & ipſa mariti reditum maximo deſiderio expectaverat, & liberos dulciſſimos & chariſſimos rediit.

Dum enim toto hoc tempore domi abeſſet, varii rumores de ipſo ſparſi ad aures quoque uxoris & liberorum ſuorum perlati ſunt. Alii eum ſuſpenſum, alii vivum excoriatum dicebant. Quæ fama uxorem ipſius piiſſimam etſi miſerè afflixit, ea tamen fortitudine animi prædita erat, cū ſciret maritum nō propria voluntate, ſed divina vocatione legatione functum ſeipſam verbo Dei erigebat, & piè conſolabatur.

15. Stuttgardiam revocatus una cum

col-

legis ſuis quæ in Galliis apud Regem Navarrenum, Amiralem, Principem Condenſem in Religionis negotio acta ſunt, Duci Chriſtophoro cornam exponit.

Reliqua deſiderantur.

TESTIMONIUM COLLEGII Studii bonarum artium Academiæ Tubingenſis de vita & Studiis D. Jacobi Andreæ Anno 1546.

NOs Decanus & conſilium Studii bonarum artium, Scholæ Tubingenſis Rectoribus S.

Petivit à nobis Venerabilis & eruditus Juvenis Magiſter Jacobus Andreæ Fabri Waiblingenſis teſtimonium ſtudiorum vitæ & honoris ſui, quem apud nos eſt adeptus. Quod nos & officii ratione, & quia ipſum eſſe digniſſimum judicaremus, nequaquam potuimus ipſi denegare. Quare libenter fatemur, ipſum apud nos ita in Studiis verſatum ut jure optimo ſit conſecutus honorem

Magiſterii. Nam illum legitimum ſtudiorum curſum ritè ex omni parte abſolvit. Nec ſolùm competimus ipſum egregiè navaſſe operam ſuam in bonas artes perdiſcendas, & ipſam Philoſophiam, ſed etiam in linguarum & dicendi exercitationem. Interim autem, quod inprimis commendatione eſt dignum, etiam in Studium pietatis & Scripturæ Sacræ tantum contulit operæ quantum ipſi mox poſt acceptum honorem, edendi publicè pro Concione ſpecimen ejus, multum peperit laudis & approbationis, apud pios & intelligentes. Hæc tàm præclara indoles & diligentia ipſius in bonis ſtudiis, ut non potuit admittere aliquam morum & vitæ Immodeſtiam, ita neque nobis licuit unquam animadvertere, quod in ipſo meritò reprehenderemus. Quamobrem ipſum multis modis commendamus omnibus bonis & intelligentibus. Et quanquam non dubitamus, ipſum ſua virtute & eruditione abundè ſatis multorum ſibi gratiam & benevolentiam demeriturum, tamen optamus etiam

etiam ex noſtra commendatione, nonnihil ad hanc rem accedere cumuli. Ac pro hoc officio viciſſim offerimus talem, & id genus aliam operam noſtram, amicè & ut dignus eſt una nobiſcum amplexuris ipſum. Atque ne quis dubitare poſſet, de fide hujus noſtræ de ipſo teſtificationis, obſignandam curavimus, eam publico Collegii noſtri Sigillo. Quod actum eſt XVII. Calendarum Julii Anno à nato Chriſto Milleſimo Quingenteſimo Quadrageſimo Sexto.

M. Michaël Sattler, Univerſitatis Tubingenſis Iuratus ac publicus Notarius ſcripſit.

Digitized by Google

ORATIO
DE
CONCORDIÆ
NEGOTIO.

NOn dubito, Rector Magnifice, Cõcio ornatiſſima, luculentam à me orationem expectari, quâ curſum confecti negotii piæ ſanctæque Concordiæ publicæ Eccleſiarum noſtrarum, quæ Auguſtanã Confeſſionem ſincerè profitentur, divinâ favente gratiâ denuò inſtauratæ, copioſè exponã. Cum enim præter expectationem & ſpem plurimorum verè piorum hominum nõ modo multis annis extraheretur, & varia eaque diſſimilima judicia audirentur, verum etiam optimi quiq; propter infinita, quæ obiiciebantur, impedimenta, de eâ prorſus deſperarent, res ipſa monſtrat, non humano conſilio gubernatum, ſed divina providentiâ, boni rate, & ſapientiâ adminiſtratum, & ad optatum finem perductum eſſe.

Quapropter mihi jam ingenii facultatem

tatem ad dicendium divinitus conceſſam optarem, ut tantum Dei beneficiũ, quemadmodum dignum erat, vel ſaltẽ oratione convenienti exponere, ſuisq; debitis laudibus ornare poſſem. Non ut ſermone promeritum, & benignitatem Dei æquare, ſed animum ſaltem gratum declarare, tantique beneficii fidelem memoriam nos retinere omnibus teſtatum facere poſſemus, quorum vel partem aliquam non referendâ, ſed ne cogitandâ quidem gratiâ conſequi poſſimus.

Sed quoniam imbecillitatis meæ mihi probè conſcius ſum, ut res tantas, quemadmodum par erat, dicendo pro dignitate explicare non poſſim, quorũ numerus, magnitudo, & varietas ea eſt, ut omnem eloquendi vim, adeoque divinum & incredibile genus dicendi ſuperet, temporis quoque anguſtia obſtet, quo minus ea, quæ oratione comprehẽſa eſſent, recitari queant: nobis verò nequaquam omninò tacendum, ſed aliquid dicendum ſit, niſi juſtam reprehenſionem mentis ſummè ingratè incur-

currere velimus, in vaſto mari vela contrahenda, & extrema duntaxat quaſi lineamenta noſtrâ oratione ducenda exiſtimavi, ut juventus ſtudioſa intelligat, quãtum beneficium Deus humano generi ante noviſſimum filii ſui ad diem extremi judicii advẽtũ præſtiterit. Quo exercitati & ipſi quoq; Deo dignas laudes canant, & majori ſtudio purioris doctrinæ & confeſſionis Veritatis curam ſuſcipiant, eamq; rebus omnibus in hoc ſeculo longè anteponant. Id dum facio, vos attentè & benevolè me audituros cõfido. Ac ne vobis oratio mea moleſta ſit, quantum fieri poteſt, & res ipſa permittit, ita brevitati ſtudebo, ut intelligatis, me nihil eorum prætteriiſſe, quæ vos cognoſcere velle minimè dubitaré, nec patientiâ veſtrâ abuti voluiſſe.

Primò omnium mihi minimè dubiũ eſt, omnes verè pios ſæpè multumque apud ſemetipſos cogitare, & memoriâ gratâ recolere, gratiam Dei ſingularem, quâ noviſſimis hiſce temporibus pro omnibus totius orbis terrarum populis, & regnis potentiſſimis, Germaniam

niam, communé noſtram patriam dulciſſimam dignatus eſt, & ſuper omnia alia regna exaltavit, quòd poſt triſtiſſimas Papatus indubitati regni Antichriſti tenebras lucem Evangelii ſui accendit, & per Electum illud ſuum Organum Divum Lutherum, Tertium Eliã, revelavit. Ut abjectâ omni Idolatriâ, & humanis traditionibus, in Chriſto ſolo & uno Juſtitiam & ſanctitatem, quæ coram Deo conſiſtit, quæramus & poſſideamus. Quam doctrinam non ex lacunis Sophiſtarum, ſed ex ipſis fontibus doctrinæ Propheticæ & Apoſtolicæ hauſit. Cui ſocios laborum, linguarum peritos viros quamplurimos adjunxit; quorum operâ barbaries ſuperiorum annorum ſuperata, Prophetas & Apoſtolos eâdem linguâ nobiſcum loquentes habeamus, & audiamus, quâ vivi ſuis auditoribus locuti ſunt, & poſteritati ſcripta ſua conſecrârunt.

Satan ergò regni ſui, ruinam proſpiciens per vicarium, quem in terris habet, Romanum Pontificem, principiò

Sophi-

Sophiſtas, Eccium, Cochlæum, Caietanum, Sylveſtrum Prieratem, Roſenſem, & his ſimiles excitavit, per quos heroicum conatum Lutheri, quo ſeſe Diabolo, & Romani Pontificis toti mundo formidabili poteſtati Divino Spiritu ſolus opponebat, reprimi poſſe ſperabat.

Quia verò Lutherus armis Spiritus Sancti & potentiâ Dei, expreſſo videlicet, & indubitato Dei verbo inſtructus erat, quod tantâ etiam ſermonis perſpicuitate & elegantiâ Germanis reddidit; Ut vulgus id quoq; utiliter legere poſſet, non modò Sophiſtas commemoratos proſtravit, qui nihil niſi humana commenta, traditiones. Reſcripta Pontificum, & Eccleſiæ autoritatem crepabant, ſed ipſius quoque Romani Pontificis autoritatem, quam Imperatores & Reges adorabant, conculcavit, & toti mundo demonſtravit, ut à verè piis & ſanctis pro indubitato Antichriſto habeatur, qui ad lacum ſulphureum cum omnibus ſuis cultoribus & defenſoribus divino judicio deſtinatus eſt, à quo caven-

cavendum ſibi ſciant omnes, quotquot plagarum ipſius participes fieri nolunt.

Hâc ergo cum non ſucceſſiſſet, aliâ aggreſſus eſt malignus Spiritus viâ, Imperatorum, Regum & Principum animos inflammãs, ut gladio, igne, omnisque generis, crudeliſſimis tormentis, terrâ, marique, in omnes veritatis Evãgelicæ cultores, & Papatus deſertores ſævirent. Quæ ſævitia & tyrannis, tantùm abeſt, ut decretum Dei de propagando Evangelio ante noviſſimum diẽ impediret, aut Lutherum & diſcipulos ipſius ab ejus profeſſione deterreret, quin ea ipsâ invitis portis inferorum amplificatâ, & ſanguine Sanctorũ Martyrum plantatâ numerus piorum Confeſſorum ita crevit, ut vix majori animi alacritate Regnum Dei amplexi eſſent, ſi id à Magiſtratibus ſuis facere juſſi eſſent.

Poſtquam igitur utroque modo ſe fruſtra laborare adverſarius Chriſti vidit, & ingratitudo hominum erga revelatam Evangelii Doctrinam creſceret, quam

quam Deus omni tempore horribiliter punivit, divinâ permiſſione, juſto judicio Domini malignus Spiritus ex conſilio progrediens, cujusmodi in cœlis cõtra Ahab multis abhinc centenis annorum celebratum fuit, ut Regis & populi impietas vindicaretur, qui ad seducẽdum & in errore confirmandum egreſſus mendax Spiritus in ore omniũ, quos occupaverat, Prophetarum fuit.

Cũ enim neq; fraudibus & dolis Sophiſtarum, neque Tyrannide & crudelitate Regum ſe quidquam adverſus revelatam Evangelii doctrinam puram & incorruptam, quã Lutherus magnâ Spiritus virtute tractabat, proficere poſſe expertus erat, id quod volebat, ſeſe per Spiritũ diſſenſionis facilè conſequi poſſe, ex hiſtoriâ & decurſu ſuperiorum annorum poſt Chriſtum natum reipsâ didicerat. Siquidem Pontifices Hieroſolymitani & Imperatores Romani crudeliſſimi, Nero, Domitianus, Diocletianus, & his ſimiles tantũ eccleſiæ damnũ nõ dederunt, quantum unus Arrius, ut de reliquis hæreticis omnibus taceã, intulit,

tulit, qui ſub Chriſti nomine nocentiſſimus Chriſti, omniumq; Chriſtianorũ hoſtis fuit, & Imperatorum tandem animos quoq; ad non minorem crudelitatem contra veritatis profeſſores excitavit, quàm prius Gentiles exercuerunt, quorum menſuram Turcicus Tyrannus propè complevit.

Sic contra Lutherum principio Anabaptiſtarum furoré concitavit, qui animis in quãplurimis doctrinæ partibus, horrendis erroribus faſcinatis, & tandé ſeditione motâ, cum Doctrinã Evangelii ſuis cupiditatibus prętexerent, eandé multis etiã nõ malis; quaſi cauſam ſeditionis & turbarum daret, exosã reddiderunt. His difficulter repreſſis, & offendiculo nondũ ex animis hominũ ſublato, de Sacramẽto Euchariſtiæ bellũ indicit Zvvinglius. Qui verborum Teſtamenti Chriſti genuinũ ſensũ impiè pervertit, & pro Sacratiſſimo corpore & ſanguine Chriſti panem & vinũ nuda ſigna eccleſiæ obtrudit. Cujus Impietatem cum per virtutem Spiritus Sancti ex verbo Dei Lutherus quoque ſolidè refutâſſet,

Digitized by Google

vivo Luthero mediocris pax in Eccleſiis Auguſtanæ Confeſſionis fuit, quæ puram Evangelii Doctrinam profitebantur, ſiquidem Zvvingliani ſubinde propius ſeſe ad noſtram doctrinam accedere ſimulabant.

Quæ res occaſionem & cauſam faciendæ Concordiæ dedit, quæ Wittembergæ annis abhinc 45. à Chriſto nato 1536. anno, inter Saxonicas & quasdam Suevicas, partim prius Zvvinglianas, Eccleſias conſtituta eſt. Quam tamen Helvetii nunquam receperunt, ut maximè Bucerus & Capito magno ſtudio in id elaborarent.

Poſtquam verò paſſim fama ſparſa erat, inter Lutherum & Helveticas Eccleſias conſenſum in omnibus partibus doctrinæ conſtitutum eſſe, & Lutherus intelligeret, ſub hoc integumento errorem Zvvinglii longè lateque propagari, ſummum Eccleſiæ periculum futurum proſpiciens, biennio ante mortem ſuam breve quidem illud, ſed vehemens & nervoſum, plenum Spiritu & Zelo gloriæ Dei adverſus Sacramentarios

rios ſimul omnes ſcriptum , de Sacra-
mento Euchariſtias edidit, quo publicè
Zvvinglianorum & omnium Sacramē-
tariorum amicitiæ & fraternitati renū-
ciaverat, quod animadverteret, quo Spi-
ritu agitarētur, & quam ingens damnū
Eccleſiæ Dei, vel opinio tantùm & fama
de Concordiâ Lutheri cum Sacramen-
tariis ſanctâ datura eſſet.

Quo tempore cum ſe fidum ſocium
& fratrem, Philippum Melanthonē ha-
bere exiſtimaret, is clàm, inſcio Luthe-
ro ad Bullingerū dogmatis Zvvingliani
propugnatorem primarium Tigurum
ſcribit, ne vel ipſe, vel collegæ ejus hoc
vehementiſſimo ſcripto Lutheri com-
moveantur, ſe enim nullâ ejus ratione
habitâ amicitiam cum illis colere velle.

Poſtquam verò mors Lutheri ſecuta
eſt, quæ fato in diem Concordiæ inci-
dens, triſtem diſcordiam noſtris Eccle-
ſiis minabatur, certamen de Cœnâ Do-
mini inter Eccleſias Auguſtanæ Con-
feſſionis & Zvvinglianas nonnihil re-
miſerat. Siquidem bellū inciderat, quod
Carolus V. Imperator contra aliquot
prin-

Digitized by Google

principes Germaniæ ipſorumque ſocios gerebat. In quo cũ victor eſſet Imperator, ejus bonitate Romanus Pontifex abuſus excidium eccleſiarum noſtrarum per Concilium Tridentinum meditabatur.

Sed Dominus qui in altiſſimis habitat, & humilia in cœlo & terrâ reſpicit, propter nominis ſui gloriã vota & ſuſpiria piorum exaudiens, cum pro infinitâ & admirandâ ſapientiâ ſuâ juſtitiã & bonitatem ita tẽperaſſet, ne vel ſubditi Ordinario ſuo Magiſtratui Religionis prætextu ſeſe opponãt, aut Magiſtratus etiam ſummus ſeſe ſupra Deum efferat, ſtupenda & etiam ab optimis quibuſque minimè expectata καταστροφὴ ſecuta eſt, ut eo quidem longè triſtiſſimo tempore, Religio, quam profitemur, ſincera & incorrupta, cũ ante victoriam Cæſaris libidini hoſtiũ expoſita eſſet, publicam, eamque ab omnib. ordinib. Imperii etiã ſæviſſimis Doctrinę noſtræ hoſtibus jurejurando confirmatam pacem à victoribus conſecuta ſit, quam prius ſperare non poterant.

Sed

Sed hoſtis humani generis, cum eam quoq; tranquillitatem nobis invideret, poſtquam ab exteris pax erat, bellum inteſtinum in Eccleſiarum noſtrarum viſceribus, quæ Auguſtanam Confeſſionem profitentur, ſummo cũ piorum ſcandolo excitat. Idq; tàm acre dubium, multivarium, & tàm diuturnum, in quo tantâ quoq; animorum acerbitate pugnatum eſt, ut de piâ pace & concordiâ reſtituendâ pleriq; etiam pii & ſapientes deſperarent.

Quæ res animum pontificiis addidit, ut gloriarentur, & ad ravim uſq; impudenter vociferarentur: non duos inter omnes Auguſtanæ Confeſſionis Doctores reperiri, qui in omnibus partibus ejuſdem doctrinæ conſentirent. Id eoq; mutuis vulneribus confectos iri, ſpem minimè dubiam, ſed eam vaniſſimam fovebant.

Cum igitur Sapientiſſimus & Chriſtianiſſimus Princeps Chriſtophorus Dux Wirtembergenſis, quem honoris causâ nomino, æternâ memoriâ digniſſimus, tàm triſtem faciem Eccleſiarum no-

noſtrarũ non ſine maximo dolore, ſum̃mâq; animi perturbatione intueretur, & ſæpè multumq; apud ſui ordinis homines piè, ſanctèque & ſolicitè monendo, ut in tempore remedia cõvenientia adhibeantur, ſeſe nihil proficere videret, ſæpenumerò cũ ſuis Theologis inprimis verò cum incomparabili Viro, D. Johanne Brentio piæ ſanctæq; memoriæ de eâ re collocutus eſt, & ſedulò hortatus, ne curam & ſolicitudinem de recuperandâ & piè conſtituendâ ſanctâ Concordiâ abiicerent.

Divinâ autem & ſingulari providentiâ divinâ accidit, cum eo ipſo tempore Ill. Princeps Julius Dux Brunſuicenſis de piâ Reformatione Eccleſiarum in avito Regno ſuo cogitaret, ut operam meã, qui minus tamen prę aliis idoneus eram, expeteret, quam non ægrè, ſed magnâ Spiritus alacritate Dux Chriſtophorus cognatus ejus amore propagationis doctrinæ cœleſtis conceſſerat. Et cùm prius mecum etiam longè de Concordiâ in Eccleſiis noſtris conſtituendâ prolixè collocutus eſſet, non modò prius-

usquam in Saxoniam irem, ejus me piè commonefecit, ut id ad eum modum tentarem, de quo prius, Brentio autore, cum ipſo & reliquis Theologis paucis collocutus erat, ſed ſumptus quoq; ſuppeditabat, ut ejus rei initium Wittebergæ fieret, quæ tum mihi in Brunſuicenſi Ducatu commoranti vicina erat, unde maxima pars horũ malorum omniũ, poſt Bellum & Victoriam Caroli V. in Eccleſias noſtras invaſerat.

Cùm autem propter Aldenburgenſe Colloquium, quod tum inſtitutum erat, maxima pars Theologorum Wittembergâ abeſſet, qui tum aderat D. Georgius Major Theologus, cui capita quædam de præcipuis controverſis articulis exhibueram, ad piam concordiã non tanquam norma, ſed παρασκευῇ tãtùm compoſita, de quibus, omnibus & ſingulis Doctoribus liberum judicium relinquebatur, inſtítutum optimi & Sapientiſſimi Principis Ducis Chriſtophori vehementer ſibi probari affirmabat.

Per Principatum ergo Anhaltinum,

 Mag-

Magdeburgum,Brunſuicenſem Ducatum, Haſſiam, & oram Rheni rediens, cum in itinere idem quoque primariis Theologis proponerem, eisque inſtitutum ſimiliter non improbaretur, ſecundò ad Ducem Julium vocatus, ut, quæ reliqua erant in Eccleſiarum Brunſuicenſium inſtauratione, perficerentur, & literis & viatico inſtructus inſtitutum Concordiæ negotium proſequor.

Quod cum uterque Elector Saxoniæ, Dux Auguſtus, & Brandenburgenſis, Joachimus ſecundus approbarent, ad quos prius literis inſtructus miſſus erã, ſumptus reliquos neceſſarios omnes Duce Julio Brunſuicenſi liberaliſſimè ſuppeditante, cujus Celſ. verum Nobilem Conſiliarium Heinricum de Lyhe Megapolenſem virum optimũ & egregiè doctum, mihi adjunxerat, ad ſuperioris & inferioris Saxoniæ principes omnes, excepto Ill. principe Adolpho Duce Holſatiæ, qui tum decumbebat, & civitates maritimas præcipuas accedo, & collatis cum primariis Theologis amicè & fraternè ſententiis, Servestum

Syno-

Synodo edictâ, pacis & Concordiæ ratio inita eſt, ut abjectâ omni innovatione, Doctrina conſtanter retineatur inviolata, quam D. Lutherus ex verbo Domini incorruptam extruxit, & in ſcriptis ſuis poſteritati reliquit.

In eo conventu, cùm Theologi, qui Wittembergâ & Lipſiâ eò venerant, Calviniani omnes viderent, rationes ipſorum impeditas, ſeque conſtrictos eſſe, quò minus ſuam impietatem, quam in corde fovebant, propagare poſſint, per D. Stöſſelinum hominem aſtutiſſimum & malitioſum actiones Zerveſtanæ Synodi ad Ill. Electorem Saxoniæ Auguſtum peſſimâ fide contra manifeſtam veritatem perſcribi curât, ut apud Celſit. ipſius, Theologos in eâ Synodo congregatos omnes, præter Haſſiacos & Brandenburgenſem unum in ſummum odium adducerent, quod illorum conatibus improbis minimè faverent.

Quo facto, cum patronum impietatis ſuæ Principem potentiâ & autoritate formidabilem ſeſe nactos eſſe exiſtimarent (non enim Deo, ſed viribus tan-

tùm humanis & applauſu hominum Calvinianus ſpiritus nititur)pium hoc pacis & Concordiæ ſtudium non modò ſugillare, & reprehendere, ſed palàm, quod multis prius annis controverſiis aliis involuti ſtudiosè tegere conabantur, profitentur, quo impietati Calvinianorum viam parent, & temporis ſucceſſu ſeſe cum illis apertè cõjungant.

Poſtquam verò Saxoniæ inferioris & Germaniæ ſuperioris Theologi ſeſe illis publicis ſcriptis magno conſenſu opponerent, & de Theologorum ſuorum impuritate in doctrinâ Elector Saxoniæ per alios pios principes admoneretur, paulò ſeverius cum illis agendum cenſuit, quorum fraus & malæ artes mirando Dei conſilio per puerũ, infantem propemodum, detecta eſt, cui mulier vetula errore quodam literas D Joh. Stöſſelii tradiderat, quibus de oppreſſione ſcriptorum Lutheri miris dolis cum Concionatore aulico Dresdæ egerat, qui Conſiliorum & inſtituti ſui non modo fautores, ſed Du-

ces

ces in Aulâ & Academiâ Wittebergenſi habebat, viros primarios, autoritate præſtãtes, ſed quorum vitæ exitus miſerabilis, & illorum laboribus dignus erat. Alter enim miſerrimè in carcere moritur, alter verò nil niſi deſperabũdas voces usque ad extremum vitæ Spiritum edidit ſibi nullam ſpem veniæ, aut vitæ æternæ repoſitam eſſe, clamitans, quòd contra conſcientiam & veritatem agnitam pugnaverit, neque ullam conſolationem admiſit, donec miſerrimè expiravit.

Theologi verò Wittebergenſes, qui horum malorum autores fuerunt, & exploſâ Doctrinâ Lutheri hæreſin Calvinianam impiam in Eccleſiam & Academiam Wittebergẽſem per inſidias introducere conabantur, cum breviſſimo tempore Lipſiæ captivi detinerẽtur, nullo vitæ periculo propoſito Calviniano errori renunciant, quo prius & ſcholas & Eccleſias miſerrimè perturbaverant, & articulis Thorgæ conſcriptis ſeſe aſſentiri, & ore & manus ſubſcriptione ſimulant.

Unde factum eſt, ut Clementia optimi Principis Electoris Saxoniæ, aſtutiſſimo autem conſilio quorundã, qui ipſorum impietati clam favebant, ut virus hoc in univerſum regnum facilius diffunderetur, ad certas easque ampliſſimas urbes Zeizenſem, Miſnéſem, & Numburgum deportati ſunt, ubi privati quidem, ſed tamen non ſine honeſtiſſimâ ſuſtentatione ex liberalitate Electoris, quam minimè merebantur, viverent. Donec illorum pertæſus Elector, cum admonitus eſſet, quantum damnum provinciæ ipſius darent, ad quos tanquam Numen concurſus fieret, ita ex Regno ſuo eiecit, ut prius jurejurando confirmarent, ſe cõtra Theologos Celſit. ipſius nihil quicquam ſcripturos, neque ſine gratiâ aut veniâ Electoris unquam in ipſius, aut juniorum principum Saxoniæ Regnũ venturos eſſe.

Hæc dum ita geruntur, optimus Princeps Elector Saxoniæ Auguſtus, cum quibusdam piis aliis quoq; Principibus Confeſſioni Auguſtanæ ſince-

ro corde addictis de piâ, ſanctâ, & firmâ Concordiâ in Eccleſiis noſtris inſtaurandâ conſultat. Cui duo ſcripta offeruntur, quibus dijudicatio controverſiarum continebatur, quæ ſuperioribus annis eccleſias perturbaſſent. Alterum quidem, quod jam pridam à Theologis Germaniæ ſuperioris & Saxoniæ inferioris omnibus doctrinæ capitibus prius diligenter accurateque aliquot annis examinatis & probè pōderatis, in eum finem conſcriptū erat. Alterum verò à trium Superioris Germaniæ Principum AuguſtanæConfeſſioni addictorum Theologis de ullâ hæreſi minimè ſuſpectis recens compoſitum erat.

Quibus acceptis, Elector Saxoniæ ex Germania ſuperiore & Saxonia inferiore Theologos Studio pacis & veritatis commendatos Torgam convenire curat, quibus ſuos quoque Theologos adjungit, & ab iis omnibus congregatis controverſiarum piam & verbo Dei conſentaneam dijudicationem poſtulat.

Digitized by Google

Ne autem fortè aliquid in eo humani patiantur, ipſe Elector præſens pro ſuâ pietate & amore erga veritatem ſinceram & incorruptam, per alterum ex Conſiliariis ſuis, quos ſecum habebat, omnes Theologos congregatos piè graviterque hortatur, ut deliberationem hanc in timore Dei ſuſcipiant, neque ullius perſonam ſummi aut infimi, cujuscunque conditionis vel autoritatis eſſe poſſit, vivi aut mortui reſpiciant, ſed in verbo Domini & veritate Doctrinæ cœleſtis unicè intenti viam rectam, planam & expeditam, monſtrent, quâ & diſſenſiones inter Theologos Auguſtanæ Confeſſionis (id enim ſolùm tum quęrebatur,) commodè tolli & pia ac firma pax Academiarum & Eccleſiarum denuò inſtaurari & conſtitui poſſit.

Quod ut præter expectationem omnium, qui eo tempore & loco converant Theolog. factum erat: ſic magno ſtudio eò elaboratum eſt, ut volũtati & deſiderio Sancto Electoris, piorumque hominum, qui idem multis

annis

annis ſitientes quærebant, ſatisfieret.

Quâ in re eò facilìor labor erat, & magis expeditus, quod ſuperioribus annis Inferioris Saxoniæ & ſuperioris Germaniæ Theologi præeunte diligẽtiſſimâ & accuratiſſimâ aliquot annorum deliberatione ſuas cogitationes de ſingulis controverſis articulis ſcripto complexi eſſent.

Poſtquam igitur Concordiæ liber ex ſupra commemoratis ſcriptis conflatus, Electori Saxoniæ oblatus eſt, à Celſ. ipſius ſic monentibus & humiliter rogantibus congregatis Theologis, ad omnes Principes, qui Auguſtanam Confeſſionem profitentur, & primarias Eccleſias transmiſſus eſt, ac petitũ, ut ſuis Theologis eundẽ ſeveriter judicandum proponerent, & judicium ſuũ ad ipſius Celſitudinem perſcriberent. Neque enim paucos numero Theologos aliis omnibus præſcribere, ſed viã tantùm monſtrare voluiſſe, quâ per gratiam Dei pia pax & Concordia in Eccleſiis noſtris reſtitui poſſit.

Judicia ergo Principum & Theologorum, cum magno numero ad Electorem Saxoniæ transmiſſæ eſſent, Sapientiſſimus Princeps paucis Theologis, qui Bergæ in celebri Monaſterio prope Magdeburgū convenerant, hoc negocii dedit, ut diligenter eadem legerent, in timore Dei expenderent, & quæ utiliter ad illuſtrandam & confirmantem veritatem facerent, ſingula ſuis locis convenienter inſererent, & ſcripta omni ex parte, quantum fieri poſſit, verbo Domini ſincero & incorrupto contra calumnias probè & rectè munirent.

Id cum accuratè & diligenter factū eſſet, Elector Saxonia cum conſenſu & voluntate Electoris Brandenburgenſis, Theologos extraneos omnes ſecundò in ſuprà commemoratum Monaſteriū Bergenſe convenire procuravit, quotquot ab initio deliberationi Torgæ inſtitutæ interfuerunt. Ubi denuò ex mādato & juſſu utriusq; Electoris omnium Principum & Theologorum judicia & ſententiæ de Libro Concordiæ trāsmiſſa leguntur, & quibus in locis illorum nota-

notationes & admonitiones utiles & neceſſariæ ſæpè commemorato libro, & quâ fide inſertæ eſſent, demonſtratur. Et cum de nimiâ prolixitate libri non paucæ Eccleſiæ monerent, de quibus nulla controverſia erat, quoniam ex aliis ſcriptis petere liceret, omiſſa & prorſus deleta ſunt.

Libro igitur ad hunc modum ex ſententiâ doctiſſimorum virorum, quorũ judicia transmiſſa erant, confecto, non ſolùm ad principes & civitates præcipuas, ſed omnes quoq; reliquos Imperii ordines, qui Auguſtanam Confeſſionẽ profitentur, nullo prætermiſſo, trãsmittitur, ut non modo à primariis Theologis ex quorũ ſententiâ compoſitus erat, ſed omnibus & ſingulis eccleſiarum & Scholarum Miniſtris legatur, expendatur, & pondere, non numero, verbo & re judicetur. Neminem n. ad ſubſcriptionem cogi aut perſuaderi, ſed liberrimũ omnibus & ſingulis judicium relinqui, cujus unica Norma & Regula ſint ſcripta Prophetica & Apoſtolica, quibus liber transmiſſus ſubiiciatur.

Sed quoniam etiam de his ſubſcriptionibus quamplurima eaq; vaniſſima per Sacramentarios ſparſa ſunt, ut ipſum librum vel hoc ſaltem nomine exoſum, & totum negotium ſuſpectũ redderent, in Electoratu & juniorum Principum Saxoniæ Eccleſiis quomodo confectum ſit, ut de aliis taceam, paucis exponam.

Ad conſtitutum enim diem in locum publicum, templum, aut curiam, ad quem omnibus civibus & extraneis aditus quoque patebat, Eccleſiarum & ſcholarum miniſtri convocati ſunt, quotquot cujusque Superintendentis ejus loci inſpectioni ſubjecti erãt, quorum numerus, ſi exiguus erat, viciniores illis adjuncti ſunt; ubi liber altâ voce & diſtinctè, publicè eſt recitatus.

Poſtea acceſſerunt, qui ab Electore ad recipiendas ſubſcriptiones miſſi erant Theologi, qui linguâ vernaculâ coram omnibus non modò Eccleſiarum & Scholarum miniſtris, ſed etiam civibus & reliquis ex promiſcuâ multitudine hominum congregatis copioſè ex-

Digitized by Google

ſè exponebant, quo conſilio hoc Concordiæ negotium ſuſceptum eſſet. Et ſeveriter omnes & ſingulos hortati ſunt, ne quisquam exemplo infelicis hominis D. Johannis Stöſſelii ejusq; triſtiſſimo deſperationis caſu admoniti, dubiâ, hæſitante, multò minus contradicente conſcientiâ ſubſcriberet, qui contra Teſtimonium propriæ Conſcientiæ errorem Calvinianorum amplexus, blanditiis quorundam auditorum ejus farinæ hominum circumventus, deſperatione horrendâ miſerrimè periit. Quapropter Electorem Saxoniæ in mandatis dediſſe, ne quisquam ex Miniſtris Eccleſiarum & Scholarum privatim audiretur, ſed publicè coram omnibus congregatis Miniſtris ſuam quisque per ſe ſententiam exponat. Si quid in propoſitis articulis deſideret, intrepidè indicet, paratos eſſe Electoris Legatos, ut ad ſingula reſpondeant, & errantes ex verbo Domini doceant. Nec opus eſſe ſtatim ſubſcribere, quin auditâ declaratione ad quæſita, & confirmatione veritatis, ſi cuiquam ſatisfactum non eſſet, ſecum

 ipſe

ipſe ad menſem unum atq; alterum diligenter de negotio cogitet. Verum hoc omnibus dictum ſit, privatim neminẽ auditum, aut perſuaſionibus cũ quoquã actum iri, ſed publicam à ſingulis, qui publicè in Eccleſiâ & Scholâ doceant, & ingenuam Confeſſionem requiri, quid de controverſis articulis ſentiant, quibus ipſorum auditores multis clamoribus aliquot nunc annis perturbati fuerint. Quâ ratione etiam firmus conſenſus in doctrinâ Religionis conſtitui, & animorum conjunctio pia & Deo grata, non per ſyncretiſmum, ſed ingenuã & apertam veritatis explicationem inſtaurari & converſari poſſit.

Atq, hæc quidem ſic acta eſſe omniũ civitatum in Electoratu Saxoniæ per Miſniam & Thuringiam incolæ, quemadmodum & in ditione quoque Juniorum Principum Saxoniæ teſtari poſſunt.

Ex quo conſtat, manifeſtã Calumniã, & impudentiſſimum mendacium Calviniſtarum eſſe, quod paſſim ſine fronte per Germaniam univerſam, & apud

Digitized by Google

exteros quoque ſparſum eſt, Eccleſiarum & Scholarum Miniſtros, cum cõminatione Exilii ad ſubſcriptionem coactos, nec juſtũ tempus deliberãdi cuiquam conceſſum eſſe.

Etſi enim controverſiæ omnes, quarum dijudicatio & deciſio in Libro Cõcordiæ continetur, omnibus Eccleſiarum & Scholarum Miniſtris, præſertim in Saxoniâ, notiſſimæ erant, ubi etiam primùm ortæ ſunt, & multis annis ſummâ cum Eccleſiæ offenſione agitatæ: non tamen quenquam ſine præeunte deliberatione accuratâ & diligenti ad ſubſcriptionem adigi, ac ne quidem perſuaſione allici voluit Elector. Quin potius, cum animadverterent ablegati Theologi, qui nomine Electoris aderãt, quosdam ex convocatis Miniſtris leviter tantùm in aliquo articulo hærere, declaratione factâ perſpicuâ & verâ, eosdem ſeveriter & humaniter à ſubſcriptione ſunt dehortati, donec explicatione veritatis ipſorum mens tutò acquieſceret.

Non

Non minore cum pietate, & moderatione, hoc ſanctum negotium à reliquis Imperii Ordinibus, ipſorumque Theologis tractatum eſſe conſtat. Cum præſertim ad certum tempus nemo adſtringeretur, ſed quidam ex illis per integrum anni ſpatium & amplius de eo cogitantes, & diligentiſſimè omnes ejus partes examinantes, ſalvâ & illæsâ tandem conſcientiâ veritati, quæ in Libro Concordiæ continetur, Teſtimonium perhibuerunt, & corde, ore, manu, ad perpetuam & poſteritatis memoriam ſubſcripſerunt.

Etſi verò ſæpè commemoratus Liber à maximâ parte Eccleſiarum Auguſtanæ Confeſſionis Principibus Imperii Ordinibus & Miniſtris ſummo deſiderio acceptus & approbatus eſt: Non tamen defuerunt quoque, qui amplius deliberandum cenſerent. Ex quorum numero erant non pauci, ut maximè in doctrinâ, quæ in Libro Concordiæ cõprehenſa eſt, nihil prorſus deſiderarent: Calumniis tamen ſeſe à ſubſcriptione deterreri paſſi ſunt, quibus Satan hoc

pium

Digitized by Google

pium & Sanctum inſtitutum variis dolis ac fraudibus, quemadmodum & manifeſtis & pudendis mendaciis per Calvinianos deformabat.

Aliis enim perſuaſum erat, Avaritiâ & Ambitione Theologi Suevi, nõ amore gloriæ Dei aut veritatis propagandæ ſuſceptum eſſe, à quo Elector Saxoniæ circumventus & deceptus eſſet, cujus nominis celebritate & autoritate, ad quæſtum ſuum turpiſſimè abuteretur. Alii verò negotii hujus prætextu novũ fœdus, ſimile Smalcaldenſi, Principes meditari, quibusdam inſpirare conati ſunt, quo ſeſe adverſus vim injuſtam cõjunctis viribus tueri poſſint. Quod cum ſuperioribus annis infeliciſſimè ceſſiſſet, & præclaras Reſpublicas in ſummũ periculum adduxiſſet, non facilè ſe illaqueari porrò velint. Alii nova, portentoſa, & noſtris temporibus inauditâ, in veteri & puriori Eccleſiâ damnata dogmata in hoc novo Libro contineri & confirmari impudenter vociferati ſunt. Alii modum agendi vituperabant, quod non

non prius Synodus coacta ſit, ex omnibus nationibus & populis, qui Antichriſti Romani jugum abierunt: Inprimis verò, quod ab omni humanitate alieniſſimum ſit, exteras Eccleſias prius non auditas, & cauſâ non cognitâ damnatas eſſe. Et ſi quæ ſunt his ſimilia.

Quæ omnia cùm diligenter & accuratè ad Saxoniæ Electorem perſcripta eſſent, & per Regios etiam Legatos reliquis quoq; Principibus coràm expoſita, Elector Saxonicus pro ſuâ pietate & ſapientiâ nihil intentatum reliquit, nullis ſumptibus pepercit, ut non modò per literas, verùm etiam per Legatos, tùm Politicos, tum Eccleſiaſticos, de Negotii veritate, & rumorum ſparſorum vanitate, omnes & ſinguli Ordines accuratiſſimè doceantur.

Unde factum eſt, ut depulſis Calumniis, & veritate manifeſtatâ, quamplurimi ex his Ordinibus, qui aliquandiu ſuum conſenſum ſuſpenderunt, ſine ullâ ampliori tergiverſatione Librum ſuâ ſubſcriptione etiam confirmarent,

Reli-

Relictis paucis, quorum alii adhuc ſeſe expedire non poſſunt, priusquam omnium rerum vanitatem intelligant, quibus negotium ſuperioribus annis miſerè deformatum fuit: Alii verò apertè doctrinam in Auguſtanâ Confeſſione damnatam profitentur, quod magnò ſtudio tamen adhuc, & quibus poſſint artibus tegere conantur, & nihil minus agere, quàm à Confeſſione Auguſtanâ receſſiſſe videri volunt.

Quæ cauſa quoque longioris moræ fuit, quò minus publicatione hujus Libri plurimorum piorum deſiderium impleri potuerit. Neq; enim interea tẽporis ab Anno 76. quidquam in hoc Libro mutatum eſt, poſtquam ad omnes Auguſtanæ Confeſſionis Ordines trãsmiſſus fuit.

Sed ne quisquã jure conqueri poſſet, ſibi juſtum tempus de negotio tàm gravi accuratè cogitandi negatum eſſe, editio ejusdem libri in quartum usq; annum non ſine maximo deſiderio piorum hominũ dilata eſt, cujus publicatio

cùm

Digitized by Google

cùm Calvinianis ipsâ morte magis acerba eſſet, ſummis viribus, & quibus potuerant artibus, inſtar Militum, qui à ſummis Sacerdotibus ad Chriſti Sepulchrum conducti erant, eam impedire conati ſunt, cui ante ſepulturam Epitaphium in contumeliam Divinæ Majeſtatis Domini noſtri Jeſu Chriſti turpiſſimum poſuere.

Utinam verò idem ſtudium in hiſce Ordinibus fuiſſet, quod Elector Saxonicus & per literas & per Legatos declaravit, cum illis familiarem, amicam & fraternam collationem ſentẽtiarum cõtuliſſet, ſi quid in Libro Concordiæ veritati non conſentaneum reperiatur, id coram intrepidè oſtenderent, & viciſſim veritatis ſolidam explicationem audirent: Neque enim fucatam Concordiam, aut errorum involucra & integumenta, ſed veritatis piam, planam, perſpicuam, & apertam explicationem & aſſertionem quæri. Sic enim brevi temporis ſpacio negotium feliciſſimè confici potuiſſet. Cum autem varii prætextus quærerentur, colloquia amica & familia-

miliaria negarentur; malè ſibi conſcii Theologi, & cauſæ ſuæ diffidentes in lucem prodire recuſabant.

Poſtquam igitur omnibus & ſingulis Imperii Ordinibus, quorum Theologi ſuperioribus annis Confeſſionem Auguſtanā ſincero corde amplexi ſunt, juſtum tempus deliberandi ad aliquot annos conceſſum eſt, ut nemo ſub ſpecie veritatis ſaltem conqueri poſſit, ſe ab illâ publicâ teſtificatione conſenſus excluſum eſſe, liberum autem omnibus ſit, quando illis viſum eſt, ad eum accedere: tandem, quod felix fauſtumq; ſit Reipublicæ Chriſtianæ, anno proximè præterito octuageſimo, ad 25. Diem Junii, quo ante annos 50. Confeſſio Auguſtana non ſine ſummo vitæ & fortunarum periculo Imperatori Carolo V. oblata fuit, LIBER CONCORDIÆ ſub nomine Trium Illuſtriſſimorum Principum Electorum, aliorumque plurimorum piorum Principum, Comitū, Baronum, & Ordinum Imperii, adeoque Theologorum magno numero ad poſteritatis memoriam in lucē editus eſt.

Quâ

Digitized by Google

Quâ publicatione vehementiſſima & vaniſſima criminatio Papiſtarum apertè & ſolidè refutata eſt, qui ſuperioribus annis ſuis clamoribus omnia cõpita, & ſingulas propemodum ſuorum ſcriptorum paginas compleverunt: Inter omnes Concionatores Lutheranos, quos ſic vocant, duos paſtores non inveniri, qui in omnibus partibus Confeſſionis Auguſtanæ per omnia conſentiant. Quibus clamoribus plurimorum infirmorum in fide Cõſcientias ita implicârunt, ut plùs ad ſtabiliendum Pontificium Regnum horum impudentiſſima mendacia, quam univerſæ Religionis Pontificiæ commendatione effecerint; cujus turpitudo tanta, omnibus piis per prædicationem Evangelii revelata eſt, ut ejus cultores ſui etiam pudeat.

Cùm enim ad defenſionem Pontificiæ Idolomaniæ perventũ eſt, tàm craſſorum errorum patrocinium ſuſcipere non audent, cum puer ſeptem annorũ in Catecheſi fideliter inſtitutus, eos erroris & impietatis manifeſtè convincere poſ-

re poſſit. Quapropter Religionis ſuæ fundamentis diffidentes, ſeſe in omnibus Colloquiis ad diſſenſiones noſtrorũ Theologorum exagitandas convertunt, ut ad hunc modum auditores ab ipſorũ Religione excutiendâ abducant, & in obedientiâ Romani Antichriſti retineant.

Poſteaquam verò & hæc vanitas non nudis verbis, ſed reipsâ, publico videlicet, & Illuſtri Electorum Principum, Comitum, Baronum, & Civitatum Liberarum Teſtimonio refutata ſit; nunc homines vaniſſimi viros honeſtos pleno vultu intueri amplius audebũt? Ubi nunc frons? ubi conſcientia? ubi clamor? Ubi inſultatio? Sed aliud fortaſſis nunc clypeum arripient, quo ſeſe adverſus noſtros tueantur. Non omnes, inquient, hunc conſenſum amplectuntur, ſed inveniuntur, qui eidem adhuc contradicant, quâ ratione Diſcordiæ potius, quàm Concordiæ Liber ſit dicendus, qui majores diſſenſiones animorumque diſtractiones minatur. Sed meminiſſe oportebat, qui talia cogitant & lo-

& loquuntur, non de omnium, ſed duorum tantùm Doctorum unanimi conſenſu Pontificios vociferatos eſſe, qui non inter omnes Auguſtanæ Confeſſioni addictos Theologos reperiantur.

Quod verò ad Ordines reliquos attinet, qui prius Confeſſionem Auguſtanam ſincerè amplexi ſunt, nec dum tamen publicè huic teſtimonio conſenſus ſeſe conjunxerunt, ſupra ſatis reſpõſum eſt, non unam impedimenti rationem eſſe. Quod non minus propter civiles cauſas, quam opinione Doctrinæ quamplurimis Librum aſtuti homines ſuſpectum reddiderunt. Quemadmodũ aliquot Eccleſiarum judicia apud Electoré Saxoniæ depoſita ſunt, quæ cùm nihil in doctrinâ Libri improbent, alias politicas ſui conſilii rationes afferunt, quas cum negotii eventus refutet, eas quoq; vel tandem ad hunc conſenſum publicè confirmandum acceſſuros nihil dubito, à quo nunquam alieno animo fuerunt.

Ubi verò falſi Doctores in Eccleſias prius rectè & piè conſtitutas irrepſerũt, nec

nec tamen apertè fateri audent, ſeſe à Doctrinâ Lutheri receſſiſſe, cujus ſumma contra Pontificios & alios Sectarios in Confeſſione Auguſtanâ comprehenſa eſt, contraria autem docent; quid mirum, quod varios prætextus quærant, ut Magiſtratum, cui hæ controverſiæ minus notæ ſunt, ab hoc conſenſu avertat; donec pelle ovinâ detectâ peſtilentiſſimi lupi deprehendantur, quod propediem ſolidâ omnium Calumniarum refutatione factâ, futurum confidimus. Tria enim potiſſimum genera Doctorum reperiuntur, qui in Eccleſiis juxta Auguſtanam Confeſſionem ab initio conſtitutis Libro Concordiæ ſeſe pertinaciter adhuc opponunt. Quidam enim dum apertè Sacramentariorum errores approbant, & docent: nihilominus tamen ſub nomine Auguſtanæ Confeſſionis ſeſe contra ſuæ ipſorum conſciētiæ teſtimonium, propter pacem publicam, quæ huic confeſſioni, reliquis ſectis excluſis, conceſſa eſt, impudenter venditare ſolent. Alii verò abſurdiſſimum & impium dogma Flaccii Illyrici

hominis inquietiſſimi, de peccato Originis, ſub ejusdem Auguſtanæ Confeſſionis & Doctrinæ Lutheri nomine propagare ſunt conati, qui error tam craſſus & manifeſtus eſt, ut ſuâ abſurditate, nemine etiam contradicente, concidat, quòd diſcrimen inter opus Dei & Diaboli in peccatoribus tollat, quâ impietate omnes partes doctrinæ Chriſtianæ evertuntur, ſicut aliâs copiosè explicatum eſt. Alii verò reliquias Papatus in Doctrinâ de Libero arbitrio, de diſcrimine Legis & Evangelii, & de neceſſitate bonorum operum ad ſalutem, retinere ſtudent, quos & Papiſtas relegavimus, tanquam ipſorum errorum patronos. Quâ ratione præter furioſum dogma Flaccii nova diſſenſio nō oritur, qui non eo tempore Eccleſiam Dei perturbaverat, cum Imperatori Carolo V. Auguſtana Confeſſio exhibita eſt.

Cujus verò Spiritus filii hæc tria genera Doctorum ſint, facile innoteſceret, ſi inter ipſos ſolùm Synodus contra Librum Concordiæ inſtituenda, & unanimis Confeſſio omnium nomine

eden-

edenda eſſet. Etſi enim in hoc conſentiant omnes, ut Librum Concordiæ omnibus exoſum reddant, ipſi tamen inter ſeſe non conſentiunt.

Neque enim Flacciani Calvinianorum, aut Calviniani Flaccianorum aut Synergiſtarum errores probabunt; nec Synergiſtæ Flaccianis patrocinabuntur, ſed ſe invicem miſerè exagitant.

Dum ergo omnes & ſinguli Libro Concordiæ ſeſe oppoſuerunt, ipſi tamen inter ſeſe Formulam Concordiæ unanimi conſenſu nunquam ſunt edituri. Quamvis mihi probè conſtet, duos Doctores Juris, alterum Flaccianum virulentiſſimum, alterum Calviniſtam vaniſſimum & impudentiſſimum, quē ſui nominis in Libro Concordiæ exagitando pudet, mutuas operas ſibi invicem in Libri Concordiæ ſubſcriptione impediendâ tradidiſſe, cum ipſi ſe invicem odio plus quàm Vatiniano Religionis ergò proſequerentur. Et hi ſunt ſcilicet egregii illi Libri Concordiæ hoſtes, quibus ſi Jeſuitas ad-

addas, genus hominum Deo & hominibus inviſum, Calviniſtarum ſocios, Cōcilio Tridentino magis celebre ad veritatis oppreſſionem vix celebrari poſſet:

Inter omnes autem maximè Calviniani eminent, per quos Satan Chriſti jugulum petit, quos nullius mendacii aut venenatiſſimæ calumniæ pudet, homines ſine fronte; de Doctoribus, non ſeductis auditoribus loquor. Hi enim ut ſemel de Sacramento Euchariſtiæ cōceptum errorem tuentur, Chriſto Jeſu Filio hominis Majeſtatem Divinitatis propriam impiè & ſceleratè detrahere non erubeſcunt, cujus humana natura ne voce quidem aut grammaticâ communione omnipotentiæ Dei particeps aut capax, ipſorum opinione, eſſe poſſit.

Etſi verò longè lateque hæc peſtilentiſſima hæreſis propter ſummam ingratitudinem hominum erga Evangelii doctrinam revelatam, & quod rationi humanæ conſentanea, apud eos præſertim ſerpere cœperit, qui opinione eruditio-

ditionis & cognitione Philoſophiæ turgent, idque non apertè, ſed clam, more ſerpentum & in tenebris (ejus enim aſſertores quod ſentiunt, non apertè fateri audent) divinâ tamen ſic diſponente providentiâ ejus impietas vel tandem ſeſe ita aperuit, ut ab omnibus verè piis conſpici, & omnes ſibi ab eâ facilè cavere poſſint.

Eò enim nunc impietatis progreſſi ſunt, ut humanam Chriſti naturam, in quâ omnis plenitudo divinitatis corporaliter habitat, non modo ab omni potentiâ, infinitâ ſapientiâ & Majeſtatis præſentiâ ad quam per Unionem perſonalem cum λόγῳ & ſeſſionem ad dexteram Virtutis & Majeſtatis Dei Patris evecta eſt, excludant, ſed plus quàm impio ore, divinum honorem adorationis & invocationis etiam ei adimant.

Etenim palàm & plenò ore affirmare non verentur; Quisquis invocationẽ ſed adorationem Religioſo cultu ad Chriſtum etiam, quâ homo eſt, ſive ad ipſius humanam Naturam etiam in ipsâ unione perſonali permanentem di-

rigat, eum ex ore Dei maledictum, blaſphemum, Idolatram, & damnatum eſſe. Siquidem caro Chriſti etiam in ipsâ Unione permanens ſit vera caro, & verè creatura; Ideoque (quod inter Chriſtianos horrendum auditu) nunquam religioſo cultu adorandum eſſe.

Ad quam impietatem confirmandam illud Jeremiæ Prophetæ ad Chriſtum hominem accommodare non erubeſcunt: Maledictus (inquiunt, ait ex ipsâ Dei perſonâ loquens Propheta) vir ille, qui fiduciam habet in homine, & ſtatuit carnem brachium ſuum. Caro autem Chriſti eſt vera Caro, & homo Chriſtus verus homo. Qui autem religioſo cultu quempiam hominem adorat; aut invocat, ille fiduciam ſuam in eo habet, quē ita invocat & adorat. Quare qui ad ipsā Chriſti carnem adorationem aut invocationem dirigit, is ex ipſius Dei ore eſt maledictus. Hactenus verba Calviniſtarum, ad quæ nihil aliud nunc, quàm illud Prophetæ reſpondeo: increpet te DOMINUS.

Et

Et quis mirabitur amplius, non modò in viciniâ quosdam paucos, ſed in Poloniâ, Tranſylvaniâ, Hungariâ aliiſque locis magno numero Arrianos factos, qui prius omnes Calviniani fuére. Si enim Chriſto homini omnipotentiã, infinitam ſapientiam, & cultum adorationis, qui ſolo Deo convenit, religioſum auferas, quis non videt, ſimul & divinitatem ipſi ablatam, & purum hominem relinqui, qui creatâ potentiâ, ſapientiâ & gloriâ reliquos ſanctos antecellat, in quem ſub pœnâ maledictionis, blaſphemis, idololatris conſtitutâ neque confidere, neque eundem religioſo cultu adorare audeas. Hi Librum Concordiæ cum non probaverint, nónne publicum & illuſtre teſtimoniũ eſt, hunc blaſphemum & execrandum errorem cum aliis quamplurimis, quos profitentur, in noſtris Eccleſiis damnatum eſſe.

Quod verò ad Pontificium ſcurram Naſum attinet, qui Doctrinam Eccleſiarũ noſtrarum multis annis, ore blaſphemo propter diſſenſiones exortas nõ

ſolùm miſerè exagitavit, ſed nunc quoque unà cum Libro Concordiæ, quem chartacordiam appellat, chartis luſoriis comparans, in quo nullus Rex, ſed ſuperioris tantùm & inferioris Ordinis viri Ober vnd Untermänner inveniantur, Electores & Principes Auguſtanæ Confeſſionis contumelioſè dixerat, & inſectatur, non puto uno verbo reſpondendum; ſed eum cum ſuis patronis & defenſoribus vindictæ divinæ relinquamus, cujus judicium appropinquat, ut vel tandem de hoſtibus blasphemis filius hominis illuſtri ſuo adventu ſupplicium ſumat, & Antichriſtum cum ſuis advocatis & defenſoribus in lacum ſulphurum præcipitet. Et dubium non eſt, principes quoque noſtros, piæ Doctrinæ ejusque confeſſioni addictos, ſui honoris rationem habituros, & cogitaturos, ut à Scurrâ non modo in Deũ blasphemo, ſed etiã in omnes Ordines Imperii Confeſſioni noſtræ adjunctos cõtumelioſo, quandoque liberentur, & nominis ipſorum autoritas vindicetur.

Sed

Sed quàm optarim non modò tempus, ſed ingenii quoque vires non deeſſent; ut de incliti Herois Electoris Auguſti Ducis Saxoniæ virtutibus & laudibus, ſicut par erat, & pro dignitate dicere poſſem: cujus ſolitudine piâ & ſumptibus maximis hoc negotium ſuſceptum, & ad optatum finem perductum eſt. De quo, ut alia quamplurima omittam, quæ meritò hîc commemoranda & celebranda eſſent; CONSTANTIA ET PATIENTIA inſuperandis infinitis impedimentis tanta fuit, ut oratione explicare nequeam; Quas virtutes toto hoc quinquennio, quo apud Celſ. ipſius in negotio Concordiæ conficiendo occupatus fui, perſpexi, easque nunquam ſatis admirari potui.

Cum enim Satan cum ſuis membris nihil eorũ intentatum reliquiſſet, quæ ad animum Electoris ab hoc negotio avertendum & alienandum facere potuiſſent; cor tamen hujus incliti herois conſtans & infractum ſemper permanſit; eoque majore ſtudio & zelo negotiũ proſecutus eſt, quò magis Satanam ſeſe

ſummis virib. illi opponere vidit. Quæ ſi ſingula commemoranda eſſent, mihi tantùm nota, cum maxima pars mihi ignota permanſerit, tempus me prius, quã oratio deficeret. Etenim non ab infimæ conditionis hominibus, ſed illuſtriſſimis ſummâ autoritate viris, cor hujus Principis ex omnibus angulis tẽtatum & oppugnatum fuit, verùm admirãdâ & ſtupendà divinâ gratiâ & potentiâ expugnatum non eſt. Quin potius in ipſius perſonâ illud Prophetæ impletum manifeſtè deprehenditur, cui DOMINUS locutus eſt: Ego dedi te hodiè in civitatem munitã, & incolumnã ferream, & in murum æneum, ſuper omnem terram, Regibus Juda, Principibus & Sacerdotibus ejus & populo terræ. Et ipſi quidem pugnabunt contra te, ſed non prævalebunt adverſus te, QUIA TECUM SUM, dicit יְהֹוָה, ut liberem te.

Et cùm fruſtrà omnia tentata & ſuſceptata eſſe, hoſtes veritatis viderent (inter quos Calviniani principem locũ ſemper obtinebant, non aperti & deplora-

Digitized by Google

plorati, ſed clandeſtini illi, quos nominis Calvinianorum pudet, ſed opinionis & hæreſeos ſunt ſocii (qui ex Galliâ redeuntes & aulas principum, & civitatum Imperialium quarundam, Reſpublicas occupantes, præter contemptum patriæ, Germaniæ, tãquam nimis agreſtis, ocreas cum crepidis ac puero ſetaceo armato, qui ad mundum muliebrẽ virorum effœminatorum conſervandũ pulverem in plateis aſperſum ſtatim excutiat, etiam hanc peſtem ex Reformatis ſcilicet illîc Calvinianis Eccleſiis ſecum attulerunt) in me unum præcipuè omnia tela directa & conjecta ſunt, non leviora illa & hebetiora, ſed quæ adverſariis cruenta & lethifera viſa erant, inter quæ vivere me tanto tempore potuiſſe, non Epicurei illi, quibus Religio Ludus eſt, ſed pii & optimi quique vehementer mirati ſunt. Spem enim, ipſorum opinione, minimè dubiam fovebant, ſi odium mei animo Ill. Electoris Saxoniæ inſpirâſſent (de quo in mediâ Miſniâ propemodum toto hoc tempore, quo illis præſentia mea

Digitized by Google

moleſta fuit, gloriabantur) ſi quidem organa ſe commoda habere exiſtimabāt, quibus animus Electoris expugnari poſſet, ipſum quoque de proſequendo Concordiæ negotio remiſſurum eſſe. Quapropter à primo adventus mei in Saxoniam die, totoque tempore, quo Celſit. ipſius meâ operâ utebatur, quæcunq; ad me deformandum facere poſſent, ad Electorem perferuntur. Et quidem ne mihi tanquam peregrino (& opinione vulgi, quam illis ejus provinciæ Docti inſpirabant, Suevo profugo) fideret, ab iis admonitus eſt graviter, quorum fides Heroico pectori minimè ſuſpecta eſſe debebat; Quos hoc quinquennio adverſarios ſemper, amicos nunquam habui. Alii Doctrinam de Majeſtate filii hominis, hominis, inquā, ubique præſentis, ſub nomine à Calvinianis confictæ portentoſæ Ubiquitatis, quam extenſione ac diffuſione humanæ naturæ pro ipſorum Spirituali & philoſophicâ ſubtilitate, ſed craſſo & carnoſo cerebro definiente, exagitātes, me ejus patronum, adeoque novæ & in Saxo-

Saxoniâ prius inauditæ doctrinæ hæreticiſſimæ autorem, Electori vel hoc ſaltem nomine exoſum reddere conabantur. Divo enim Luthero, quod ad Doctrinam de Perſonâ Chriſti attinet, iis in locis propemodum accidit, quod de Rom. Pontificibus mortuis dicitur, in quibus tres articuli Symbolici Apoſtolici impleantur, quod mortui ſint, ſepulti, & ad infernum deſcenderint. Usque adeo inſtar Joſephi in Ægypto, quæ Lutherus de perſonâ Chriſti contra Sacramentarios, nemine inter Confeſſionis Auguſtanæ Doctores unquam ipſo vivo contradicente, ſcripſit, ex animis & memoriâ hominum deleta fuerũt Quæ Ego ipſe Diſputatione publicâ in quartum usque diem durante, Wittebergæ, provocatis omnium artium & diſciplinarũ Doctoribus & Profeſſoribus quaſi à mortuis reſuſcitavi, & in confuſionem hoſtium veritatis ita per gratiam Dei in coronâ omniũ Profeſſorum & Studioſorum (quod ſine arrogãtiâ, ſed ad gloriam filii hominis Domini noſtri Jeſu Chriſti dictum volo) defendi, ut ne qui-

Digitized by Google

dem contra hiſcere auderent: ſed patroni adverſariæ Doctrinæ ſummâ cũ confuſione diſceſſerint. Alii me à Romano Pontifice ad lites inter Calvinianos & Lutheranos fovendas, ne Concordia inter illos ſanciatur, pecuniâ corruptum eſſe impudenter ſcripſerunt: Cùm ejus Concordiæ piæ, ſanctæq; faciendæ ſtudio, multis annis elaboraverim, ut etiã apud bonos propemodum in ſuſpicionem illius erroris pervenerim. Alii verò mihi omnium errorum, hæreſeum, & corruptelarum doctrinæ cœleſtis patrocinium adſcripſerunt, quibus conſilii & propoſiti noſtri rationes minus notæ fuerũt. Alii verò me Philippi Melanthonis de Eccleſiâ optimè meriti autoritati ſine causâ & injuſtè detrahere, ut ejus nominis celebritatis oppreſſione ego indoctus inſtar hederæ aſſurgerem & emergerem, cum Doctrinæ Lutheri ex verbo Dei extractæ veritatem contra eos defenderem, qui autoritate Philippi.

Alii me odio Academiarum celeberrimarum Witebergenſis & Lipſenſis omnia

mnia agere calumniabantur, ut Suevorum gloria creſceret. Alii quæ ſuperioribus annis à quibusdam adverſariis meis (inter quos tamen & me, de Doctrinâ diſſenſio nulla unquam fuit, ipſis verò ratio conſilii & inſtituendæ tractationis de piâ & Sanctâ Concordiâ non plenè nota erat.) Sparſa contra me ſcripta erant contumelioſiſſima, novo ſcripto ſummo injurioſo, cui D. Tilemanni Heſshuſij nomen Calvinianus quidam ejus ſcripti autor præfixerat, ex nundinis Lipſenſibus per univerſam Germaniam & vicina regna, cum ſummâ nominis mei contumeliâ divulgarunt. Reliqua & his omnibus longè atrociora ſilentio prætereo, quę ſuo tempore etiam in lucem producentur. Ac ne quid deeſſet ad Electoris animum à negotio ipſo & me deterrendum, Aſtrologos quoque, genus hominum, cui D. Auguſtinus occulta cum Dæmonibus pacta eſſe dicit, in ſocietatem vocat, qui ad flectendum cor Electoris ex curſu aſtrorum prædixerunt, inſtitutum negotium non modò non proceſſurum, ſed

Ele-

Electorem quoq; ipſum in periculum vitæ ſuæ adductũ iri. Cuius prædictionis vanitatem cum non modo feliciſſimus negotii eventus, ſed integra etiam valetudo Electoris refutet, nunc mendacium mendacio cumulans mendaciſſimus vates, quæ piè conſtituta ſunt, & confirmata, ex vanitate ſcientiæ ſuæ in novo ſequẽtis anni prognoſtico denuò ruitura, prædicit, mihique ſummam indignationem potentiſſimorum principum minatur homo vaniſſimus, Eccleſiaſtico honore & munere minimè dignus. Ut interim nihil de falſis meis fratribus dicam, quos conjũctiſſimos cùm me habere exiſtimarem, ipſos apertis hoſtibus, quod meritò dolendum eſt, truculentiores ſum expertus. Quæ cauſa eſt, ut non modò non amplius mirer, ſed nunc demum Commentarii loco intelligere cœperim, quod D. Paulus in Catalogo ærumnarum ſuarum non ſine causâ & dolore maximo, falſorum quoque fratrum meminerit, quorum perfidia mihi ipsâ morte magis acerba & tamen ſuperanda quoque fuit. Quæ

omnia

omnia & his longè majora & plura, quibus maximè Electoris animus commoveri debuiſſet, cum ſine numero contra me effunderentur, ut cor ipſius à me adeoque ipſo negotio avelleretur, cujus fiduciâ & autoritate ſolùm me omnia tentare & agere opinione ſuâ certò ſed falsò perſuaſi erant, vobis, concio ornatiſſima cogitandum relinquo, quæ toto hoc quinquennio meæ delitiæ fuerint, in quibus contra opinionem plurimorum verſatus ſum. Et hoc eſt, quod D. Paulus ſuo exemplo nos docuit, ut nosmetipſos, ſicut Dei miniſtros exhibeamus in multâ patientiâ, in tribulationibus, in neceſſitatibus, in anxietatibus, in plagis, in carceribus, in ſeditionibus, laboribus, vigiliis, jejuniis, puritate, ſcientiâ, animi lenitate, in Spiritu Sancto, in charitate non ſimulatâ, in potentiâ Dei, per arma juſtitiæ dextera & ſiniſtra, per gloriam & ignominiam, per convitia & laudes, quaſi impoſtores & tamen veraces, quaſi ignoti & tamen noti, quaſi correpti & non occiſi, quaſi dolentes, ſemper tamen gaudẽtes, quaſi 2. Cor. 6. v. 4.
pau-

pauperes, multos tamen ditantes, nihil habentes, tamen omnia poſſidentes.

Hæc & innumera alia cum ad me ſubinde relata eſſent, magnâ ex parte etiã vulgo nota, occaſione oblatâ ipſum Electorem alloqui nõ dubitavi, me vehementer mirari, quòd tam diu me ſecum retinuiſſet; ejus enim loco ſi ego fuiſſem, id fortaſſis me minimè facturum eſſe. Cum autem nonnihil cogitabundus tandem ex me quæreret, num rectè facturus fuiſſet, ſi me expuliſſet, reſpondebam ego: Minimè. Cauſam igitur ex me ſciſcitatus, cur id facere debuiſſet, reſpondi, quòd viderem, præter Celſitatem ipſius pauciſſimos mihi favere. Quemadmodum autem hanc cõſtantem ipſius voluntatem verè miraculum, nihilque humanum, ſed divinũ opus exiſtimem eſſe; ita etiam non minus mirum videri, quod non jam pridem relicto negotio aufugerim, cujus cauſâ hæc omnia mihi devoranda fuerint. Sed Heros inclitus animo excelſo præditus, cujus pectus non humanis conſiliis, ſed virtute divinâ & robore

Spi-

Spiritus Sancti confirmatum erat, ut hisce omnibus Satanæ technis minimè commovebatur; ſic me quoque ad patientiam piè hortabatur, fore inquiens, ut aliquando hæc meminiſſe juvaret.

Quæ cauſa etiam inter alias erat, ut rumores paſſim per univerſum ipſius regnum, aliquot poſt annis conſtanter ſparſos, & longè lateque divulgatos minimè curarem: Electorem Saxoniæ cũ conjuge mihi vehementer indignari, meque non modò cum ſummâ indignatione dimiſſum iri, ſed totum negotium quoq; Concordiæ in fumum abiturum. Quod, ut fieret, à primo die adventus mei in Miſniam conjunctis viribus, qui autoritate valebant, mihique & cauſæ nocere poſſe, exiſtimabant, usque ad diem diſceſſus mei ſedulò meditati ſunt. Idque ut efficerent, toto hoc tempore variis modis tentârunt; &, ſicut Pſaltes loquitur, greſſus meos diligenter obſervârunt, cogitaverunt in corde ſuo iniquitates, toto die conſtituebant prælia, acuerunt linguas ſuas, ſicut ſerpentes, venenum aſpidum ſub labiis

ipſo-

Digitized by Google

ipſorum, qui cogitaverunt ſupplantare greſſus meos, abſconderunt laqueum mihi, & funes extenderunt in laqueum pedibus meis, & juxta iter ſcandalum poſuerunt mihi. Percuſſus ſum ut fœnum, & aruit cor meum; ſimilis factus ſum pelicano ſolitudinis, factus ſum ſicut Nycticorax in domicilio, vigilavi & factus ſum ſicut paſſer ſolitarius in tecto; totâ die exprobrabant mihi inimici mei, & qui me laudabant, adverſus me jurabant. Hactenus Pſaltes.

Qui hoſtium meorum conatus paulò ante meum ex Miſniâ diſceſſum cum eſſet vehementiſſimus, poſtquam Ill. Princeps Ludovicus Dux Wirtembergenſis DOMINUS noſter Clementiſſimus, negotio confecto, cum mea opera Electori Saxoni non amplius neceſſaria videretur, me ſecundò per literas ad Electorem ſcriptas clementer revocaſſet, ut paucis ante diebus non modò in urbe gloriarentur, verùm etiam per univerſum Regnum longè latéque ſpargebatur, priusquam Dresdâ diſcederé,

me

me cum ſummâ ignominiâ & Electoris indignatione dimiſſum iri.

Quapropter negotio publico perfecto, cujus causâ potiſſimum vocatus eram, cùm multis diebus ante ipſe quoq; prolixis literis dimiſſionem peterem, priusquam Jhenam ad Reformationem ejus quoque Academiæ accederem, eãque cum Collegis adjunctis abſolverẽ, quam Calvinianus inquietus Spiritus etiam perturbaverat; inde reverſus intrepidus, mihique nullius rei malæ cõſcius, negotii & cauſæ bonitate confiſus, nullâ ratione criminationum meorum adverſariorum habitâ, ad horam conſtitutam in conſpectum Electoris Saxoniæ, præſentibus, quos ſecum ſecretioris Conſilii cum Secretario habebat, tribus Viris, accedo: Ejusque Celſitudini nomine totius Eccleſiæ Chriſti, quas poſſum pro Concordiæ negotio, ipſius pietate, ſolicitudine, & ſumptibus maximis confecto, mihique ac meis præſtitis beneficiis, debitas gratias ago. Qui viciſſim clementiſſimam voluntatem ſuam nõ modò verbis per alterum ex

ex Conſiliariis aſtantibus, verùm etiam munere honorifico, quod in ſcripto adverſus Sturmium in honorem Electoris commendavi, erga me declarat, meque præter expectationem omnium meorũ hoſtium, quos maximos in urbe habebam, & rumores per univerſum regnũ ſparſos, clementiſſimè dimiſit.

Ex quibus omnibus conſtat, non humanis viribus, aut ſapientiâ, ſed divinâ virtute heroicum hoc pectus ſuſtentatum fuiſſe, ut tantos impetus, tantaque impedimenta ſuperare potuerit, & hoc pium, utile, & pernecеſſarium Concordiæ negotium ad optatum finem perductum ſit. Quæ omnia ipſius honoris causâ commemoranda & nequaquam omittenda eſſe duxi.

Hæc breviter; Concio Ornatiſſima, priusquam ad conſuetas meas operas ſcholaſticas, quantum quidem valetudo permiſerit, accedam, præfari volui, non modò ut hac oratione diuturnioris abſentiæ, propter publicum Concordiæ negotium, ad Dei gloriam & ad calumnias *Diabolicas* depellendas, quæ ſine

ſine numero adverſus me effuſæ ſunt, omnibus rationem redderem, verùm etiam breviter de ipſo negotio confecto ſtudioſam juventutem docerem; non ambitione, aut quæſtus cauſa, vel ad cujusquam injuſtam aut veritatis oppreſſionem, ſed ad hoſtium veritatis calumnias atrociſſimas depellendas, de noſtris diſſenſionibus cum ſumma pioruũ offenſione ſuperioribus annis ſparſas, ad propagationem veritatis, & piã SanctamqueConcordiam Eccleſiarum noſtrarum non privata, aut propria mea voluntate, ſed autoritate publica & vocatione divina ſuſceptam, & per gratiã Dei ſuperatis innumerabilibus impedimentis, dolis, fraudibus, & technis Satanæ & malorum hominum, vel tandẽ & perfectam, & invitis portis inferorum in lucem editam eſſe, ut nunc in omniũ manibus verſetur, & inſtar Solis omnes nebulas veneratiſſimarum calumniarum & impudentiſſimorum mendaciorum, quæ partim contra me, partim contra ipſum negotium ſparſa ſunt, diſcutiat.

Quæ.

Quæ cum ita ſe in rei veritate habeant, neque Dominus in itineribus tot annorum tàm variis & periculoſis non aliquot centenorum ſed aliquot millium milliariorum mirabiliter cõſervaverit, ut ſpacio annorum tredecim, quando per medium hoſtium veritatis & inimicorum meorum, mihi ſoli cum puero, nullis miniſtris aut armis ſtipato, eundo & redeundo ambulandum fuerit, à nullo unquam homine in iis præſertim locis (quod mirandum dictu eſt) ubi aliâs minimè fieri ſolet, in itinere hoſtiliter ſalutarer, quis eſſem, quò irem, unde venirem, quæ mea negotia eſſent? Adeoque valetudine *mediocriter conſervatâ*, ſalvum cõtra ſpem omnium meorum hoſtiũ, & præter expectationem etiam piorũ ad meos reduxerit, qui domi interea tot annis pro meâ ſalute & vitâ ſoliciti, gemitibus & ſuſpiriis ſeipſos paſcebant & conſolabantur; Quid prohibeat, quò minus in piam, Deo gratam & omnibus modis debitam gratiarum actionem erumpam?

Qua-

Quapropter ad te, æterne & omnipotens Deus, me converto, Tibiq; Sanctæ Trinitati, Patri, Filio, & Spiritui Sancto, Deo Trino & Uno, quas animo concipere, & linguâ eloqui poſſumus, immortales gratias agimus, quod nos hoc ſeculo opinione quidem profanorum hominum miſerrimo, piorũ autem ſententiâ longè feliciſſimo naſci & vivere voluiſti, quo diſcuſſis plusquam Ægyptiacis Papatus tenebris, Lux Doctrinæ cœleſtis ſinceræ & incorruptæ accenſa, ſed etiam ab hæreſibus, erroribus & corruptelis quamplurimis aſtutiâ hominum ad eam denuò obſcurandam recens introductis, repurgata eſt, ut poſteritas noſtra, ſi modo fidus cuſtos hujus depoſiti eſſe voluerit, contra omnem ſeductionem probè munita, veritatis indubitatum teſtimonium, non modò ex verbo Dei, verùm etiam plurimorum piorum & ſanctorum conſenſu publico, firmatum habeat. Agnoſcimus gratiſſimo animo, clementiſſime Pater, non modò infinitam potentiam & bonitatem,

ſed immenſam quoq; ſapientiam tuam, quâ conſilia impiorum & malorum hominum aſtutiſſima mirabiliter diſſipaſti, qui magno conatu, conjunctiſq; viribus Concordiæ huic Sanctæ ſeſe oppoſuerunt, eamq; infinitis dolis & fraudibus impedire ſunt conati. Tibi quoq; Ieſu Chriſte, fili David, ad dexteram Patris ſedenti, Sacrificium labiorum noſtrorum offerimus, quod in vitis portis infernalibus perrumpens, ut Propheta de te loquitur, reipsâ & huius negotii feliciſſimo exitu demonſtrâſti, te in medio inimicorum tuorum, Papiſtarũ & Calviniſtarum, dominari. Qui blaſphemiis inter ſeſe contra te contendentes ad oppreſſionem veritatis tuæ doctrinæ non obſcurè conſpirarunt. Papiſtæ enim meritum redemptionis attendant, tuoq; honori detrahentes, humanis operibus partem hujus gloriæ tuæ tribuunt. Calviniani verò te omni Majeſtate tuâ divinâ, ad quam in throno Dei proprio ad dexterã virtutis & Majeſtatis Dei collocatus es, exuunt, omnipotentiâ & infinitâ ſapientiâ ſpoliant,
&

& poteſtatis & cognitionis Dei menſuram tibi conſtituunt, tibique divinum honorem invocationis & adorationis religioſæ ſub pœnâ maledictionis blaſphemis & idolatris conſtitutâ, blasphemo ore derogant. Te, inquam, Jeſu Chriſte, fili Dei & Mariæ, ſupplices rogamus, ut ad vindicandam nominis tui gloriam ſurgere, & Majeſtatem tuam, quam nos juxta verbum tuum credimus, docemus, cõfitemur, & celebramus; Calviniani autẽ Dianam Mammatam, Dianam Lyſtricam, Epheſinam, filiam & excrementum Diaboli, blasphemo ore appellant, illuſtri tuo adventu demonſtrare velis, ut vel tãdem blasphemiarum finis fiat, & nos tecum æternâ beatitudine in te promiſsâ fruamur, cui, unà cum Deo Patre, & Spiritu Sancto ſit laus, honor, & gloria, in omne ævum, Amen.

ORATIO FUNEBRIS
DE
VITA, ET OBITU
REVERENDI ET
CLARISSIMI VIRI, PIETA-
TE, ERUDITIONE, SAPIEN-
tia, & uſu atque experien-
tia rerum Præſtantiſ-
ſimi,
D. JACOBI AN-
DREÆ, SACROSAN-
CTÆ THEOLOGIÆ DO-
CTORIS, ET PROFESSORIS
celeberrimi, & incomparabilis, Aca-
demiæ Tubingenſis Cancellarij,
& Præpoſiti Eccleſiæ di-
gniſſimi, Habita
A
JACOBO HEERBRANDO, S. S.
Theologiæ Doctore, & Profeſſore
in Academia Tubingenſi,
Collega ipſius.

Anno M. DC. X X X.

Digitized by Google

ORATIO FUNEBRIS, DE VITA, & OBITU D. JACOBI ANDREÆ, &c.

CUM Jonathas, Saulis Regis Iſraelitarum filius, Rector Magnifice, Barones Generoſi, Senatus Scholæ inclytæ, Corona ornatiſſima, in prælio fortiter pugnans pro patriâ, & populo Dei, occubuiſſet: hoc eum David amicus, Cõfœderatus, & quaſi frater, lugubri proſequitur Epicedio, inter cætera dicens: doleo ſuper te, frater mi Jonatha, decore nimis, & amabilis ſuper amorem mulierum. Sicut mater unicum amat filiũ ſuum, ita ego te diligebam. Quomodo ceciderunt robuſti, & perierunt arma bellica? 2. Sam. 1.

Eliſa quoque Propheta, Præceptore ſuo Eliâ, in turbine, curru & equis i-

Digitized by Google

gneis in cœlum ſublato, ereptum ſibi à Deo Magiſtrum deflens, voce lachrymabili exclamat: Pater mi, pater mi, currus & equites Iſraël.

Hoc idem nobis quoq; in communi hoc luctu, faciendum eſſe puto. Obiit enim vir ſummus, & fideliſſimus non ſolùm ſtudiorum noſtrorum Gubernator, verùm etiam Religionis ſinceræ Hyperaſpiſtes, propugnator & defenſor acerrimus: Reverendus & Clariſſimus vir, Dominus JACOBUS ANDREÆ. SS. Theologiæ Doctor & Profeſſor, Præpoſitus Eccleſiæ, & Scolæ Cancellarius Digniſſimus, de Eccleſiâ Chriſti & hâc Scholâ optimè meritus. De hujus vitâ, & obitu, omiſſo Exordio longiori, & abſq; affectu. jam ſum dicturus. Non expectabitis autem à me Orationem, verborum lenociniis comptam & pictam. Nec etiam affectibus refertam, ſicut nec de origine & ſplẽdore gentilitio, quæ quidem etiam Dei Dona ſunt, & ornamẽta in hoc mundo, jam dicam: verùm de rebus ejus publicè in Eccleſiâ geſtis, de

plan-

plantatione, gubernatione, reformatione, inſtauratione, conſtitutione & propagatione Eccleſiarum, de certaminibus controverſiis dogmatum, & aliis ejus laboribus, quos pro Eccleſiâ ſuſtinuit maximos, hiſtoriam, & quidem nudam, proque rerum magnitudine brevem, recitabo. Quæ tamen de rebus multis, maximiq; momenti docebit, & ſic hiſtoriam quaſi Eccleſiaſticam noſtrorum temporum, & certaminum præcipuorũ, quibus ille dirimendis & componendis, vel præfuit, vel certè interfuit, per annos 44 compendio cõplectetur multa, & de multis utiliter monebit. Non dubito autem, quin vel unã, ſi fieri poſſet, & poſtremam audire ex ipſo Concionem cupiatis omnes.

Quia verò hoc negatum eſt nobis & impoſſibile: audiatis per, & ex me, ipſum de ſe loquentem, & totius Vitæ ſuæ curriculum, labores, quos exantlavit, itinera & peregrinationes, Colloquia, ſcripta, Diſputationes, Conciones, recitatũ (ſequor enim in hâc Ora-

tione, partim ab ipſo factam deſcriptionem, partim verò Indicé & conſignationé in Ephemeridibus annotatam audiamus, inquam, eum, æquis animis non amplius in hunc mundo viſuri, vel audituri, ultimumque Vale nobis dicentem: hocq; modo poſtremum ei pietatis officium præſtemus, juſtaq; ei faciamus.

Iacobi Andreæ natalis.

Natus eſt Reverendus Vir, D. Doctor JACOBUS ANDREÆ, in hoc Ducatu Wirtembergico, oppido Waiblingen, unde Gibelini nomen habent, anno Chriſti 1528. die Martii 25. horâ matutinâ 2. minutis 30. parentibus piis & honeſtis, Patre Jacobo Endris, ex Micolau, in ditione Epiſcopi Eiſtettenſis oriundo, cujus pater Ingolſtadii ſepultus eſt. Et quia iſte artem fabrilem exercuit, hinc in pueritiâ à coæqualibus, Schmidlin dictus eſt. Cæterum, cum nomen ſuum hîc apud Rectorem tum, generoſum Baronem Arbogaſtum ab HeWen profiteretur, Jacobum Andreæ ſe nominavit, & ſic etim in Catalogum ſtudioſorum, Matriculam vocant, relatum eſt nomen ejus.

Mater

Mater ipſius Anna Weißköpfin / nata Gundelphingæ, oppido ſuperioris Palatinatus, ad Jurisdictionẽ Illuſtriſſimi principis ac Domini, Domini Philippi Ludovici, Palatini Rheni, Ducis Bavariæ, &c. pertinente, quæ illinc, propemodum in infantiâ ad cognatam quandam Waiblingam translata eſt, ubi adulta, poſtea marito, parenti D. Jacobi nupta eſt, ex qua tres ſuſcepit filios Jacobum noſtrum; Georgium & Philippum, filiamque unam. *Mater.* *Fratres.*

Anno 1534. Poſtquam Illuſtriſſimus Princeps ac Dominus, Dominus Udalricus Dux Wirtembergenſis, Ducatum ſuum recuperavit, mutatio Religionis facta eſt, abrogato impio & Antichriſtiano Pontificio regno: parentes filium ad ſtudia adhibuerunt. Cum autẽ tenuioris eſſent fortunæ, quàm ut ſumptus ad ſtudia neceſſarios ſuppeditare poſſent, elapſis tribus annis, arti mechanicę mancipare eũ cogitaverũt, pactiq; ſunt cũ fabro lignario; ſed ſuaſu conſuli Se- *Pueritia.*

baſtiani Maderi, mutavit parens conſilium, filiumque Stuttgardiam, ad D. Doctorem Erhardum Schneppium, Generalē tùm Eccleſiarum hujus Ducatus Superintendentem, adduxit, quo ſubſidium ad ſtudia, ex fiſco Eccleſiaſtico impetraret.

Qui cum eum examinaret, puerum 10. annorum, deprehendit, ingenium illi eſſe egregium (propter quod ab eo tempore ſemper eum poſtea dilexit, & promovit) ſed à Ludimagiſtro neglectum in ſcholâ patriâ. Ideoque hoc capiunt conſilium, ut Waiblingenſes ex ærario ſuo Eccleſiaſtico, partem aliquam, reliquum pater, contribuant. eumq; in ſcholam Stuttgardiam mittant.

Regebat tum ſcholam iſtam M. Alexander Marcoleon, Vir egregiè doctus in literis humanioribus, & ad formanda ſtudia juventutis, natus & factus. Quo Magiſtro, Noſter biennii ſpatio Regulas Grammaticas utriusq; linguæ, unà cum præceptis Dialecticis & Rhe-

& Rhetoricis Philippi Melanthonis, mediocriter addidicit.

Quia enim ingenio optimo divinitus erat ornatus, mox quæ propoſita erant, apprehendit, ita ut in Stipendium Illuſtre Tubingenſe reciperetur, An. 1541. & poſt biennium, Anno nempe 43. cum aliis condiſcipulis, primæ Laureæ gradum eſt conſecutus, Hirſaugiæ Monaſterio, quo Profeſſores artium & Philoſophiæ propter peſtem hîc ſævientem, tum conceſſerant. Poſtea An. 45. Tubingæ cum aliis Juvenibus 17. gradum Magiſterii conſecutus eſt, inter quos locum ſecundum obtinuit.

Adoleſcẽtia 1541.

Laurea prima. 1543.

Laurea ſecũda 1545

Interea autem cum Philoſophicis, etiam Theologiæ & Hebreæ linguæ ſtudia conjunxit. Inprimis autem D. D. Erhardi Schnepfij lectiones & conciones ſtudioſè audivit, annotavit, ad earumque imitationem ſe compoſuit, & popularibus concionibus ſe exercuit.

Anno itaque 46. ætatis ſuæ 18. Stuttgardiam, Ducatus hujus Metropolim, ad Diaconatum illius Eccleſiæ, ædito

Diaconatus Stuttgardianus 1546.

prius ſpecimine, alterâ die feſti Paſchatis, in ſummo templo, in frequenti concione pomeridianâ, eſt vocatus, receptus, & cum admiratione officio iſto functus eſt, ita, ut fama nominis ipſius etiam ad Illuſtriſſimum Ducem Wirtembergicum Udalricum perveniret, qui etiam in arce ſuâ ipſum audire voluit, & finitâ concione ad ſuos dixit: undecunque hic pullus progrediatur, certum eſt, quod Schnepfius illum excluſerit. Eodem anno, uxorem hîc duxit, Annam, honeſti civis, Iohannis Entringenſis, honeſtam filiam, valdè piam, & *οἰκουρόν*, ex qua liberos ſuſcepit octodecim, filios novem & filias totidem, quorum novem adhuc ſunt ſuperſtites, ex quibus filios quatuor, & generos quinque coràm ordine, longaque ſerie pullatos aſſidere cernitis.

Incidit eodem anno & tempore triſtiſſimum bellum Germanicum, quod Principibus noſtris Imperator Carolus V. intulit, in quo victor Cæſar Ducatum hunc occupat, inque ſuam redigit poteſtatem. Erat tum miſera facies hujus

Duca-

Ducatus. Ipſe verò nihilominus cum conjuge Stuttgardiæ perſeveravit, officiumque fecit concionando, baptiſando &c. etiam inter medios Hiſpanos, qui tamen (quod divinæ bonitati tribuendum eſt) vim illi nullam intulerunt, nec in officio impediverunt, adeò, ut etiam cùm à Curſore Ducis Udalrici Fecialis Imperatoris rogaretur, Pro infante ſibi recens nato in baptiſmo ut ſponderet, promptiſſimè annuerit, eumque à D. Jacobo baptiſatum ex ſacro fonte ſuſceperit. Quo peracto, munuſculum ipſi offert, his additis: Ego Domino Deo meo ago gratias, quod & viderim & audierim te in fide S. Eccleſiæ Catholicæ baptiſaſſe (audierat enim Fecialis Symboli Apoſtolici recitationem in actu baptiſmi (& quamprimum, inquit, ad Cæſarem venero, bonâ fide referam. Certè apud nos Cæſareanos perſuaſiſſimum eſt; vos & fidem & Religionem omnem abjeciſſe, nulla apud vos eſſe Sacramenta, nullam Sanctorum venerationem.

Digitized by Google

De quâ re cuperem tecum colloquij; ideoque peto, ut ad prandium venias, in prætorio, à Senatu paratum. Quod & factum eſt, & bonâ gratiâ dimiſſus, cum prius monuiſſet noſtrum, ut ſi quos haberet Scholaſticorum Doctorum libros, Thomam, Scotum, Holcot, Bricot, Mephret, & ſimiles, remotis ſuis Lutheranis in locum ſubſtitueret: hoc modo eum tutum à vi omni Hiſpanorum fore, & immunem. Sed intra paucos dies pax eſt conſtituta inter Carolum Cæſarem, & Ducē Udalricum, qui mox in ſuum rediit regnū, Dei beneficio & Cæſaris gratia.

Dimiſſio. 1548. Permanſit itaque noſter in officio, donec anno 48. ab Imperatore forma Inter religionis, quæ INTERIM dicebatur, quòd Interim durare deberet, donec in Concilio de universâ Religione decerneretur) in quâ Pontificiæ Religionis errores craſſiores palliabantur aſtutè, publicatâ eſſet, quam, qui recipere recuſabant Miniſtri Eccleſiæ, metu Cæſaris, qui tum Monarcha, rerum potiebatur, paſſim ab officio removeban-

bantur, & inter hos Noſter quoque, qui huc (Tubingam) cõmigrare juſſus eſt, ſubminiſtrãte ſumptus Duce Udalrico. Triſtia hæc fuerunt & perturbata tẽpora, plurimis in locis pulſis pijs, & ſinceris Eccleſiæ Miniſtris, ſubſtitutis alijs, atque hinc inde translatis ſimplicioribus, qui puritatem doctrinæ, ſine tamen refutatione errorum Pontificiorum, ſimpliciter traderẽt populo, ſacrificulis quoq; & Monachis reſtitutis. Sed Deus propitius paulò poſt nos paternè reſpexit, conſtitutis hinc inde Catechiſtis, inter quos etiam Noſter ad Diaconatũ hujus Eccleſiæ promotus eſt, in quo ſtrenuè laboravit. Factum eſt id Anno &c. 49.

Migratio Tubingã.

Functio Catechiſtica ibidem. 1549.

Inde Diaconatus. 1550.

Anno 50. Dux Udalricus, Novembris ſextâ die hîc in arce ſuâ, inter horam quintam & ſextam matutinã placidè ex hâc vitâ emigravit, cui filius, Dux Chriſtophorus, perpetuâ memoriâ Illuſtris, omnibusque virtutibus Principe dignis ornatus ſucceſſit, qui, pari cum Domino parente, clementiâ, Noſtrum eſt cõplexus, & fovit, voluitque,

que, ut de aſſumendo Doctoris gradu cogitaret. Itaque ad eam rem ſe præparavit, factis iis & præſtitis, quæ legibus requiruntur. Ubi poſt Diſputationem publicam, Prophetas omnes minores curſoriâ prælectione eſt interpretatus, & anno 55. Aprilis 19. ætatis ſuæ 25. Doctoreos honores eſt conſecutus, parte aliquâ ſumptuum, ex Chriſtophori Ducis Liberalitate, acceptâ, cum prius Eccleſiæ Göppingenſis Paſtor, vicinarumque Superintendens Specialis eſſet factus, poſtea verò etiam Generalis, cum aliis tribus.

Doctoratus. 1553.

Munus Paſtoris & ſuperintendētu Geppingæ.

Reformatio Comitatus Oetingenſis.

Tum etiam à Generoſo Comite Ludovico in Oetingen ad reformandas & repurgandas Eccleſias ſuæ ditionis, ab Idolomania, & ſordibus pontificiis, eſt vocatus, ad quod opus etiam ab aliis Principibus Illuſtriſſimis, Duce Othone Heinrico Palatino Rheni, & Domino Georgio Friderico, Marchione Brandenburgico, Theologi ſunt evocati. Ubi memorabile eſt, quod Dux Chriſtophorus piæ memoriæ, Noſtro D. Jacobo, peculiari ſcheda inſcripta in mandatis

datis dedit, ut ſi Comes Ludovicus hoc ageret, quod bona Eccleſiaſtica, Monaſteriorum inprimis, ad ſe rapere, inque ſuum convertere uſum vellet: D. Jacobus nulli amplius intereſſet deliberationi, ſed ſtatim domum ſe reciperat. Quæ ſcheda Comiti per Cancellarium ipſius eſt reddita, addita graviſſima commonefactione, ne manus ſuas profanatione bonorum Eccleſiaſticorum pollueret.

Anno 56. incidit Eccleſiarum Comitatus Helfenſteinenſis Reformatio, ad quam etiam D. Jacobus eſt per Udalricum Comitem ab Helfenſtein, in Wiſenſteig vocatus, ubi plurimæ objiciebantur difficultates & remoræ, adeò ut Collegium Canonicorum, quod ibidem templum occupabat, Comitem cum ſuo D. Jacobo intromittere nollet, ſed magnâ vi ſe opponebat. *Reformatio Comitatus Helfenſteinenſis. 1556.*

Verùm perrupit fortiter Udalricus, & rectè inſtitutus atque edoctus fundamenta Religionis ſinceræ ex ſacrâ ſcripturâ didicit, & inſtitutam

perfe-

Digitized by Google

perfecit Eccleſiæ Reformationem, atque in locum Sacrificulorum, Evangelij ſinceros Miniſtros ſubſtituit.

Quanquam autem Comes iſte poſt aliquot annos, minis perterritus, Evangelicam Religionem deſeruerit: tamen ejus defectionis culpa nulla D. Jacobo adſcribi poteſt, quippe qui Comitem ad conſtantiam graviſſimè eſt adhortatus, refutatis omnibus Argumentis, quæ Comes opponebat.

Converſio Iudæi.

Circa hæc tempora, cum D. Jacobus ex famâ percepiſſet, Judæum quēdam in vicino oppidulo Weiſſeinſtein, à pedibus (ob furta perpetrata) ſuſpenſum iri: quia hoc genus ſupplicij antea non viderat, comitate eũ cive Göppingenſi, eò proficiſcitur. Cumque audiret Judæum jam in patibulo pedibus affixũ, pendentem inter canes duos, corpus Judæi lacerantes, recitantem hebraicè verſus ex Pſalmis, quibus ille miſer divinam implorabat opem, acceſſit noſter propius, eique expoſuit Religionis Chriſtianæ caput, Chriſtum, Meſſiam, veram Jehovam, eumque ut in hunc

hunc crederet, hortatus eſt. Mirabile dictu: canes, ipſo loquĕte, ceſſarunt membra Judæi arrodere. Judæus verò Religionem Chriſtianam amplectitur, & hoc unum petit, ut de patibulo, mox iterum, ſed de collo ſuſpendendus, liberetur, & baptiſetur, idque obtinuit; ut dubium non ſit, quin hic Judæus è faucibus Diaboli, hujus viri præclara opera ſit ereptus.

Eodem anno Illuſtriſſimus Princeps, Carolus, Marchio Badenſis, &c. Eccleſiarum & cultus in ditionibus ſuæ Juriſdictioni ſubjectis, emendationem, diu ante præmeditatam ſuſcepit. Ad quam perficiendam ex Thuringiâ Theologos evocavit duos, ex Palatinatu Electorali unum, & Noſtrum D. Jacobum, & abjectâ impiâ & Antichriſtianâ, verboque Dei damnatâ Pontificiâ Religione, ſinceram (cujus ſumma in Confeſſione Auguſtana, ejusque Apologia comprehenſa eſt) ſcripturæque ſacræ conſentientem recepit, & ut Ceremoniæ externæ in Eccleſiis Marchionatus vicinarum Eccleſiarum Ordinatio- *Reformatio Marchionatus Badenſis.*

nibus,

nibus, quantum quidem poterat, cõnformes fierent, voluit. Quibus hoc modo ſcripto comprehenſis, viſitatio & Reformatio, Eccleſiarum in Marchionatu inferiori, quæ Illuſtriſſimo Principi, Marchioni Carolo cedebant, per Theologos iſtos, adjunctis etiam politicis Conſiliatis, maturo conſilio ſuſcepta eſt, & qui Sacerdotes ad docendum Evangelium idonei reperti ſunt in examine, retenti.

Quibus hoc modo peractis, prædictus Illuſtriſſimus Marchio Carolus, miſſo Legato & Conſiliario Johanne Sechelio Juris Doctore, cum literis Credentiæ (quas vocant) meam explorat voluntatem, & operam requirit, quam ab Illuſtriſſimo Duce Chriſtophoro impetrat ad annum. Commigro itaque cum meâ familiâ Herrenberga Pfertzhemium circa Matthæi feſtum, ut recens inſtitutam Eccleſiarum emendationem in opus producerem.

Reformatio Marchionatus ſuperioris.

Poſtea revocatur noſter D. Jacobus, qui menſe octobri eôdé rediit, & cũ Illuſtriſſimo Marchione Carolo ad Eccleſias ditionum ſuperiorum, quæ in

Briſgoja ſitæ ſunt, reformandas unâ aſcendimus. Diſtribuit autem Illuſtrſſimus Princeps operas inter nos, per ditiones iſtas. Quod opus per DEI gratiam feliciter ceſſit, ad gloriam DEI illuſtrandam, & multorum millium animarum ſalutem perpetuam. Deum æternũ Patré Liberatoris noſtri Jeſu Chriſti toto pectore precor, ut qui cœpit opus hoc bonum, in virtute Spiritus Sancti perficiat,& conſervet uſq; ad adventum glorioſum filii ſui dilecti, Judicis vivorum & mortuorũ, cui magno & intrepido animo,rationem,de hoc ſumus,reddituri in illâ die.

Compoſitio Rotenburgo-Tuberana.

Hoc eodé anno à Senatu civitatis Imperialis Rotenburgum ad Tuberam, noſter D Jacobus vocatus eſt propterea, quod Paſtores in agro ipſorum diſſimilibus uterentur Ceremoniis, & metus eſſet,ne inde etiã certamina de dogmatibus orirentur. Itaq; conſilio ejus repetũt confeſſioné verbo Dei conſentienté, & certos ritus præſcribunt, quibus omnes unanimiter Paſtores,&in urbe&in agro poſthac utãtur. Et hoc modo conſenſus eſt conſtitutus, & pax Eccleſis iſtis data.

Comitatus Principis Chriſtophori Ratisbonam. 1557.

Anno 57. menſe Januario, cum Duce Chriſtophoro ut in ea profectione partes concionatoris aulici ſuſtineret, ad comitia Ratisbonæ tum celebranda deſcendit, in quibus inter cætera, de futuro Colloquio inter Theologos Pontificios, & Confeſſionis Auguſtanæ, Wormatiæ habendo deliberatum eſt. Ad quod certæ perſonæ, Judicio Cæſaris Ferdinandi & Ordinum Imperii, delectæ ſunt. Inter iſtas Doctor Jacobus, & Doctor Paulus Eberus, Notarii ſunt nominati & adjuncti.

Editio primi libelli, de Cœna, volut Concordia præludij.

Edidit hoc anno D. Jacobus libellum de Cœna Domini, in quo etiam ad piam Concordiam viam monſtrabat, cui Dominus Brentius, piæ memoriæ, brevem commendationem in præfatione ejuſdem addidit: ſi quo modo hæc controverſia odioſa, citra tamen veritatis jacturam, componi potuiſſet. Et hic primus ipſius fœtus, quod ego quidem ſciam, fuit, ex quo apparet, quantum in ipſo pacis & Concordiæ Eccleſiaſticæ fuerit ſtudium.

Comitatus

Eodem anno, menſe Junio, cum Duce Chri-

Principiu. Franco-furtum.

te Chriſtophoro, Francofurtum ad Mœnum deſcendit, ubi conventus erat Principum quorundam, à Cæſare deputatorum, ad componendam litem & controverſiam, quæ per annos complures, inter Philippum Haſſiæ Landgravium, & Comitem Wilhelmum à Naſſau, propter Comitatum Katzenelnbogen duraverat, ſicut & tranſactum eſt inter illos, & lis dirempta atque ſublata. Erant autem eò vocati ex variis locis Theologi noſtrates, qui communicato conſilio, de modo & formâ Colloquii Wormatienſis, quod tum inſtabat, deliberarent, quo conſilio & D. Jacobus eò adductus erat.

Concionem ibidem habuit noſter, in præſentiâ Principum die feſto Johannis Baptiſtæ in ſummo templo ad D. Bartholomæum, quod Pontificii tum occupabant, ſicut etiamnum, ubi mirabilis accidit hiſtoria, cujus ego teſtis eſſe poſſum ocularis, qui unà cum Illuſtriſſimo meo Principe tum Domino Marchione Carolo Badenſi, &c. eò profectus eram, dicta de cauſa, quam breviter hîc recitare viſum eſt.

re vi-

Cum enim certâ de cauſâ Illuſtriſſimis Principibus viſum eſſet, concionem publicam Evangelicam audire eo die feſto, res ea inſolita, mox evulgata eſt per urbem. Confluxêre itaque plurimi homines. Ibi poſt ſignum datum campanâ conſueto more, ſuggeſtum aſcendit Doctor Pontificius. Quo viſo, populus magnâ voce canere cœpit hymnum de Spiritu Sancto, qui incipit: Nun bitten wir den heiligen Geiſt. Quo finito legit ille hiſtoriam Evangelicam conſuetam de Baptiſtæ Nativitate, quam attentè illi audiverunt. Cum autem interpretari illam inciperet, interrupit eum Concio alio hymno germanico: Nun frewt euch liebe Chriſten gmein / vnnd laſt vns frölich ꝛc. Ibi tum Concionator ille quaſi attonimus aliquandiu ſubſtitit: cumque illi finem canendi facturi nullum viderentur, deſcendit ille, & rectà ad Ducem Juliacenſem, qui primus & adhuc ſolus ex Principibus aderat, contendit, coram quo ſolenniter proteſtatur, vi ſe de loco & officio ſua dejectum, additâ petitione ut hujus rei teſtis

ſibi

ſibi eſſe velit ejus Celſitudo, in extremo Judicio. Cui Princeps: Mi Domine, ſic convenit inter Principes, quod hodiè ex ſuis Theologis concionem audire velint. Ideoque ſi tuo fuiſſem loco, eorum voluntati me non oppoſuiſſem. Quod autem à me petis, ut tibi in noviſſimo die Feſtis eſſe velim, id perdifficile mihi eſt. Aut enim fortaſſis, ego & tu, ibi non conveniemus: aut alter alterum non agnoſcet. Quo accepto reſponſo, ſacrificulus commotus, recedens, irâ accenſus, clepſydram quam manu tenebat, in terram, juxta altare, cum blaſphemia, abjecit. Quod hiſce meis vidi oculis, & auribus propius aſtans, audivi.

Porrò, quod ad Colloquium attinet, cuius modo facta eſt mentio, convenerunt *W*ormatiæ Theologi, vtriuſque partis, menſe Auguſto. vbi hoc à Pontificiis actum eſt, nihil vt ageretur. Mota enim Quæſtione de Iudice controverſiarum inter partes, Noſtrique verbum Dei, ſcriptis Prophetarum & Apoſtolorum comprehenſum, pro vero *Actio in Colloquio VVormatienſi.*

 & in-

& indubitato Judice agnoſcendum, cui ſoli hoc debeatur, neutri verò parti contenderent: Pontificii verò contra ſcripto prolixo propoſito teſtarentur, ſe nequaquam, neque unquam, in hunc unum Judicem conſentire poſſe. Scripturam enim ſacram literam eſſe mutam, mortuam, ambiguam, adeoque *non eſſe vocem Iudicis, ſed materiam litis*, ex qua certa controverſiarum dijudicatio depromi non poſſit. Quapropter, ſi in hoc propoſito Auguſtanæ Confeſſionis Theologi conſiſtere & perſeverare velint, ſe in inſtituto Colloquio progredi non poſſe: ſiquidem contra negantem principia non ſit diſputandum. Hac itaque de cauſa Colloquium iſtud abruptum eſt ab illis, nullâ habitâ ratione Reſcripti Cæſaris Ferdinandi, quo eos progredi in inſtituto Colloquio hortabatur. Quod idem Præſes Julius Pflug, Epiſcopus Naumburgenſis ſatagebat, ſed omnia fruſtra.

Anno 58. Staphylus infelix Apoſtata, ut prætextum ſuæ defectionis turpiſſimæ quæreret, Libellum contra Religio-

ligionem noſtram edidit, cui titulum fecit: Epitome trimembris Theologiæ Lutheranæ: in quo iſte non modo plurimarum Sectarum opiniones collegit, easque ſimul omnes Luthero, tanquam primario adſcribit Autori, ſed etiam ex ipſius, aliorumque Doctorum ſcriptis, quamplurimas Antilogias (quem hodiè ſtolidi imitantur Eſavitæ) confinxit & collegit.

Libri contra Staphilum ſcripti 1558.

Hic Doctor Jacobus, autoritate Ducis Chriſtophori iſtius impudentiam & vanitatem refutavit, quæ ſcripta contraria poſtea ſunt multiplicata utrinq; ternis adverſariis editis.

Actio Auguſtæ, ob VVormatienſi colloquium 1559.

Anno 59. quia conventus Imperii indictus erat Auguſtæ, cum alias ob cauſas, tum etiam, ut acta Colloquii Wormatienſis (quod ferè priusquam inchoatum erat, abruptum fuerat) ciſtæ vel arcæ incluſa, nec evulganda antea, quàm ordines Imperii ad Comitia convenirent (ita enim conventum erat, & religione Jurisjurandi collocutores devincti) ibi tum etiam eò miſſus eſt no-

ſter D. Jacobus cum aliis Politicis, ut publicationi Actorum intereſſet.

Publicatis Actis, gravis accuſatio in eodem conſeſſu, adverſus D. Jacobum ipſo præſente & audiente recitata fuit: quod Francofurti Eccleſiaſten ordinarium ejus loci, in æde D. Bartholomæi, violenter ab officio ſuo depulerit (quod quomodo habeat, & factum ſit, jam à me expoſitum eſt) quo nomine in publicas leges pacis conſtitutæ peccaverit. Et quod durantibus Comitiis in ſummo templo Auguſtæ, Pontificio Doctori concionanti publicè contradixerit, eumque mendacii in doctrinâ arguerit.

Id autem ita factum eſt: clam Noſter proximè ſibi à latere aſſiſtenti dixerat, mentitur: quod cum à tergo illi aſtans ſacrificulus audiviſſet, clarâ voce, ut & à Concionatore, & aliis exaudiri potuerit, Noſtro dixit: Cur non publicè Concionatori dicis, mentiris? Ne ergo tumultus fieret in populo, diſceſſit Noſter, comitante ipſum amico. Fretus itaque bonitate cauſæ, ſe purgavit, & ſatisfe-

tisfecit, partim ſuâ innocentiâ, partim verò Adverſariorum calumniis demonſtratis. Interea autem, duas, durantibus Comitiis, Conciones habuit, de Juſtificatione unam, de Cœna Domini alteram, præſentibus omnibus noſtræ Confeſſionis principibus. Quæ ambæ ante comitiorum finem hîc ſunt exemplaria Auguſtæ plurima diſtracta.

Poſt reditum interrogatus à Nobili viro ſeptuagenario Johanne à Liebenſten, qui Göppingæ domicilium habebat, in vicino autem admodum loco, pagum Ubenhauſen, ubi ſunt acidulæ, pontificiæ autem adhuc deditus Religioni, qui tamen frequenter conciones noſtri D. Jacobi audiebat, neque ab ejus converſatione alienus: ab hoc, inquam, Noſter interrogatus: quid tandem in Colloquio iſto Wormatienſi tam celebri, de Religione actum ſit? reſpondit D. Jacobus id, quod ſuprà de cauſa diſſipati & interrupti Colloquii commemoratum eſt, de Scripturâ Sacrâ, quod in controverſiis Eccleſiaſticis de doctrina, Judex eſſe non poſſit. Ibi tum Nobilis,

Reformatio pag: Ubenhauſen.

hâc occaſione Receſſus iſtius Colloquii Wormatienſis motus; ingenuè profiteri, ſe non aliam agnoſcere doctrinam, quàm quæ in verbo Dei comprehendatur. Eandem ſe quoque velle ſuis proponi ſubditis, ſed non niſi per ipſum D. Jacobum. Qui facilè conſenſit & ſingulis diebus Dominicis & feriatis à prandio, cum prius Göppingæ manè ſuas paviſſet oves, egreſſus. Concionem in pagi templo dedit, poſtea regreſſus in oppidum, veſpertinam habuit concionem, & ſic ternas, idque longo tempore, gratis, quòd Nobilis nollet alium conſcendere ſuggeſtum, donec ſubditi benè in Religionis doctrinâ inſtituti & confirmati eſſent, ne forte alius unâ concione plus deſtrueret, quam iſte 10. concionibus ædificaſſet.

Collatio cum Bartol. Hagenio. 1559.

Accidit eo tempore, ut paſtor quidam in hoc Ducatu M. Bartholomæus Hag, in errorem Calvini, ex mutuis conſcriptionibus, inductus ſit. Quod cum Dux Chriſtophorus Illuſtriſſimus optimus, & veræ ac ſinceræ Religionis amantiſſimus princeps, intellexiſſet, con-

confeſſionem ſcriptam de Cœna Domini ab illo exegit, quam ipſius Celſitudo, præcipuis Theologis hujus Ducatus examinandam miſit: cumque eorum pium conſenſum intelligeret, Synodum indicit menſe Decembri Anni, 59. ad quam iſti omnes Stuttgardiam convocantur. Cui conventui M. Hagen ſiſtitur, ut convictus erroris, & confuſus, in viam miſer reduceretur. Quod & per Dei gratiam factum eſt.

Ex decreto autem & voluntate Ducis Chriſtophori, datum eſt hoc negotium D. Jacobo, qui diu illum fruſtra reluctantem, ita tandem erroris convicit, ut quid opponeret, non haberet amplius, errorem ſuum palam agnoſens, confeſſus eſt, Confeſſioniq; quæ tum à Synodo eſt conſcripta de vera præſentia corporis & ſanguinis Chriſti in Cœnâ Dominicâ ſubſcripſit, ſicut & alii præſentes omnes, & quicunque recipiuntur ad Miniſterium Eccleſiaſticum. Atque ita dimiſſus eſt ille Domum ad faciendnm officium.

Excurrit etiam D. Jacobus aliquo- *Inſpectio Eccleſiarũ*

 ties,

Etingenſium. ties, & hoc & ſequentibus annis, ad Comitem Oetingenſem, vocatus ad Inſpectionem Eccleſiarum ipſius.

Inſtauratio Eccleſiæ Lavingana. Sicut & Anno 60. à Duce Wolffgango Palatino Rheni, ad inſtaurationem Eccleſiæ Lavinganæ, quæ per Sectarios miſerè erat perturbata vocatus eſt, & à Duce Chriſtophoro miſſus, ubi per anni ferè quadrantem manſit, Eccleſiæ illi præfuit, dandis frequentibus concionibus, quibus doctrinæ cœleſtis fundamenta jecit firma, ſumma manſuetudine & lenitate, ſeductos in viam revocans.

Actus Theologicus Erphordiæ 1561. Anno 61. autoritate Ducis Chriſtophori, Aprilis 15. miſſi ſunt Jacobus Beurlinus, Theodoricus Schnepfius, & noſter Jacobus, Theologiæ Doctores, adjunctis Politicis, Erphordiam, ad conventum Theologorum, Electoris Palatini Friderici, Auguſti Electoris Saxoniæ, & Landtgravii Haſſiæ, Philippi, propter Electorem Palatinum Fridericum qui aliam & diverſam à Confeſſione Auguſtanâ doctrinam amplexus fuerat, ſi quo modo revocari in viam & conſen-

conſenſum noſtrum potuiſſet, ſed re infectâ diſceſſum eſt.

Iter in Galliam.

Menſe Junio, à Duce Wolffgango Palatino D. Jacobus denuo eſt vocatus ad Inſpectionem Eccleſiarum ſuperioris Palatinatus, ut quàm rectè omnia fierent, adminiſtrarentur, & procederent, cognoſceretur.

Circa finem Septembris, ejusdem anni, ad Ducem Chriſtophorum venit Legatus Regis Navarræ, Monſieur Jacques de Turnio dictus, cum literis Regiis, quibus petebat Theologum ſibi mitti, cujus operâ & conſilio, in Synodo Poſſiacena uti poſſet. Eò enim negotium Religionis deductum, ut de controverſis articulis, præſente Rege Carolo 9. Regina matre, Rege Navarræ, Principe Condæo, & reliquis regni Ordinibus Poyſſi, inter Pontificios & Hugonottos (quos vocant) collocutio modeſta inſtituatur. Negotio itaque cum Conſiliariis communicato, viſum eſt mittere D. Jacobum Beurlinum, recens creatum Academiæ noſtræ Cancellarium, & Eccleſiæ Præpoſitum; D.

Jacobum Andreæ; & M. Balthaſarum Bidembachium concionatorem aulæ Wirtembergicæ, quibus adjungitur Nobilis Melchior à Salhauſen, qui Gallicam tenebat linguam, & alii miniſtri. Simul ergo iter ingrediuntur Stuttgardiæ 3. Octob. & ejusdem 19. Lutetiam perveniunt, ubi cum aliquandiu expectarent Regis mandatum, poſtquam Sarbonam vidiſſent, Collegium Regis Navarræ ingrediuntur, ibique D. Beurlinus occupatus inſpectione librorum, in Bibliotheca, optimis Autoribus inſtructiſſimâ, morbo corripitur, quem Eriſypelata eſſe putabat, ſed ut eventus docuit triſtiſſimus, peſtis erat, quæ in iſto Collegio tum ſæviebat, quod noſtri ignorabant, quâ poſtea 28. ejusdem extinctus eſt Lutetiæ, ſepultus in Cœmiterio S. crucis.

Antequam autem noſtri Lutetiam perveniſſent Colloquium Poſſiacenum jam ſolutum erat, Bezæ oratione quadam, quam in conventu illo celeberrimo, coram Rege, & reliquis paulò ante nominatis, de Cœnâ Dominicâ, cujus

jus mentionem fecerat, in hæc verba erumpens, ediderat: Quantum diſtat ſupremum Cœlum ab infimâ terrâ, tantum corpus Chriſti diſtat à pane & vino Euchariſtiæ. Quibus auditis, Pontificii ſurrexerunt non amplius Bezam audire volentes. At poſtquam Regis mandato ſilentium eſt impetratum, Bezæ orationem ſuam abſolvere permiſſum eſt. Propoſuerat autem in iſto conventu Cardinalis Lotharingus (ut quidem nobis relatum eſt) conditionem pacis & concordiæ inter utramque partem, Religionis in Galliâ confirmandæ, Confeſſionem Auguſtanam, Carolo V. Anno 1530. exhibitam. Hanc ſi ſubſcriptione ſuâ approbarent Beza, & ſocii Religionis in Galliâ, perpetuam quoad Religionem in regno pacem eſſe futuram. Quam conditionem cum recuſarent, nulla amplius de Religione deliberatio ſuſcepta eſt, ſed ſolutus conventus. Doluit autem Regi Navarreno vehementer, prius abruptum Colloquium, quàm Noſtri adveniſſent. Dederunt autem D. Jacobus, & M. Balthaſar

Bidembach ad Regem Navarræum, petentem hoc, ſcriptum quoddam de verâ & genuinâ ſententiâ Auguſtanæ Confeſſionis, in articulo de Cœnâ Domini, ſed nullum ab hoc reſponſum acceperunt: verum vocati ad Reginam matrē, clementer ſunt dimiſſi: cumq; nihil amplius haberent, quod agere poſſent, 24. Novemb. iter patriam verſus ſuſceperunt, in quam 10. Decembris ſalvi redierunt.

Colloquiū cum Cardinale Guiſio Lotharingio. 1562. Sequente Anno 62. Duces Guiſiani, inprimis Cardinalis Lotharingus Carolus, Colloquium cum Duce Chriſtophoro, ad componendos motus in Galliâ Religionis causâ exortos petūt, quod Tabernis Alſaticis, quæ ſedes eſt Epiſcopi Argentinenſis, ad 15. Februarii indictum erat. Ad quod Princeps noſter Illuſtriſſimus, Dn. Brentium, noſtrum D. Jacobum, & M. Balthaſarum ſecum adduxit. Ubi hoc effectum eſt, quod Guiſiani, optimo noſtro Principi ſtipulatâ manu fidem dederunt, ſe non amplius in Hugonottas ſævituros. Quod tantiſper præſtiterunt, donec ab illo

ſunt

ſunt digreſſi. Cum enim Waſſinum perveniſſet ſenior Dux Guiſius, horribilem lanienam, in vulgus promiſcuum templo incluſum, exercuit.

Cum itaque defuncto D. Beurlino, ut diximus, jam locus iſte Cancellarii in ſcholâ noſtrâ vacaret, idem Illuſtriſſimus Princeps Dux Chriſtophorus, juxta Ordinationem ſuam, communicato cum Rectore, & Senatu Academico conſilio, D. Jacobum Andreæ Cancellarium & Præpoſitum conſtituunt.

Præpoſitura & Cancellariatus Tubingenſis.

Antequam verò huc commigraret, miſſus eſt à Duce Chriſtophoro, petente Johanne Friderico Duce Saxoniæ, cum M. Chriſtophoro Bindero, jam Abbate Adelbergenſe, Reverendo ſene, Aprilis 22. in Thuringiam, ad ſopiendũ diſſidium inter Theologos Academiæ Jenenſis, Matthiam Flaccium Illyricũ, & D. Victorinum Strigelium, de Liberi arbitrii viribus, ortum, quibus hic nimiũ tribuêre videbatur, in converſione hominis peccatoris ad Deũ, uſus vocabulo Capacitatis, quod ille non rectè accipiebat.

Iter in Thuringiã ob controverſ. Strigelianam.

Pro-

Propoſita itaque à Noſtro eſt formula, qua tota cauſa & controverſia explicata eſt, & à Victorino approbata manus ſubſcriptione, Adverſarii verò eam cavillabantur, & poſtea mutilatam in odium Noſtri, ediderunt.

Poſt reditum, menſe Julio, familiam ſuam huc tranſtulit, officiumque ſuum & in ſchola & in templo, magno cum Zelo, & approbatione multorum fecit. Fluit autem ipſius oratio, & ſicut Homerus de Neſtore ſcriptum reliquit: τοῦ καὶ ἀπὸ γλώσσης μέλιτος γλυκίων ῥέεν αὐδή: cujus ab ore fluxit vox melle liquenti, dulcior.

Conciones. In docendo rudem plebeculam popularis erat, ut diſertè & perſpicuè poſſet etiam obſcura aliâs proponere, ut facilè intelligerentur. In exhortando ad vitæ emendationem, increpando & invehendo in vitia & mores depravatos vehemens, extollens vocem ſuam ſicut tubam, Adverſarios ſanæ doctrinæ refutando potens, puſillanimes & perturbatos conſolando & erigendo mitis, in ciendis & movendis affectibus naturâ

&

& arte inſtructus, &, ſi quando opus erat, mera ſonabat tonitrua, tantaq; animi & vocis contentione, vehementia & affectu pro concione loquebatur, ut etiam media bruma toto ſudaret corpore, interulamque madefaceret omnem, quod & factum eſt penultimâ concione, quam Dominica Secunda Adventus, ut vocant, habuit, quâ finitâ, poſtea nihilominus in maximo frigore, unà cum aliis Eccleſiæ Miniſtris, cœnam Domini, alumnis, qui magno numero aderant, adminiſtravit: quam poſtea non minimam morbi cauſam fuiſſe eſt arbitratus, cum ceſſante motu & actione, frigidiſſimo tempore, & omnibus gelu concreſcentibus, calor iſte omnis & ſudor in interula, in frigiditatem, poris apertis, converterentur.

In Schola quoque (quando per alia graviora negotia publica, præſertim peregrinationes frequentes, & crebra itinera, quæ in diverſa illum rapuerunt loca, non impediebatur) fideliter docuit: maximè autem practicam Theologiam, cum magnum rerum Theologicarum *Lectiones.*

carum plurimarum, uſum haberet & experientiam, ſtudioſis Theologiæ propoſuit, quibus ad Miniſterium Eccleſiaſticum acceſſuros præparavit. Diſputationes hîc in Scholâ noſtrâ propoſuit plurimas, quibus materias difficilimas, & obſcuriſſimas, de Perſona Chriſti, de Perſonali unione duarum naturarum, de Communicatione Idiomatum, de prædeſtinatione, de Peccato Originali, & omnibus propemodū controverſiis Eccleſiaſticis horū temporum, contra omnes errores, quorum argumenta, refutavit, monſtratis fontibus, & quidem tanto ſtudio, ut plerumque dies continuaret integros, explicavit.

Et diſputationes Tubingæ habitæ.

Nullis autem pepercit laboribus φιλόπονος, ſcriptis & Epiſtolis, non ſolum familiaribus, ſed diverſas ad diverſos, varii argumenti, ad omnis ordinis homines dedit, dum de variis interrogatus, reſpondit, & conſilia dedit quotidie, cum dies, credo ego, nulla tranſiret, quâ non aliquot magna celeritate, & felicitate exaraverit; nulla dies præteriit, qua non plures ad eum, tanquam Ora-

Epiſtolæ familiares.

culum

culum, confluerent, petentes conſilia, dum omnibus gratificari ſtuderet.

Nullus, poſt magnum illum Lutherum, quod ego ſciam, tot tantosque pro Eccleſia & Religione ſuſtinuit labores. Sicut ſtatim ſequentis anni 63. initio, menſe Februario, Argentinã eſt miſſus, quod Italus quidã Theologus Hieronymus Zanchus, pacẽ & concordiam ſcholæ illius & Eccleſiæ, novis quibuſdã dogmatibus perturbaſſet. Inter quæ & hoc paradoxon erat: quod renati & credentes, non poſſint iterũ excidere gratiâ Dei, & fidem per peccata contra conſcientiam admiſſa, amittere. Qui à noſtro Cancellario, & Rev. Viro D. Simone Sultzero Baſilienſis Eccleſiæ Paſtore, & ejuſdẽ ſcholæ Profeſſore, Theologo ſincero, quos Magiſt. Argent. evocaverat, refutatus eſt. Poſtea Formula Confeſſionis â Noſtris eſt conſcripta, & à Zancho petitũ, ut ſubſcriberet. Qui cũ tergiverſaretur primũ à Joanne Sturnio Rectore Academiæ Arg. perſuaſus, & à D. Sultzero adductus, & rogatus, ut ſubſcriptione ſuâ eã confirmaret, tandẽ his verbis

Iter Argentinam ob Zanchium 1563.

eam

eam ſubſcripſit : *Hanc Confeßionem* ut piam eſſe corde ſentio , ita manu eam ſubſcribo.

Fuit in hac vicinia, circiter duo milliaria abhinc, vir generis nobilitate, virtute, ſapientia, pietate, & magnanimitate præſtans, Johannes ab Auu in Wachendorff / qui à Medico D. Venerando Gablero, quo valdè familiariter hic utebatur, de noſtræ Religionis principiis Catecheticis, edoctus eſt: qui Gablerus, antequam à noſtrâ Religione defeciſſet, autor illi fuit, cum alio quoque Juris Conſulto, M. Johanne Bietigheimero, ut noſtrum Cancellarium ad ſe vocaret, à quo plenius cum ſuâ Eccleſiâ inſtrueretur, quemq; ſcirent non difficilem ſe præbiturum.

Reformatio Wachēdorfenſis pagi.

Occaſione itaq; hâc ſibi oblatâ Noſter, re cum Illuſtriſſimo principe Chriſtophoro communicatâ, operam ſuam illi præſtitit, hoc modo, ut diebus Sabbathi aſcenderet, & poſtea diebus Dominicis publicè pro Concione iſthic (cum interim non deeſſent, qui hic vices ipſius gererent) Catechiſmum tra-

dere

deret & explicaret, quod annum circiter, aut amplius præſtitit 8. Nov. anni 64. incipiens, primam dedit concionem: atque ita Eccleſiam iſtam plantavit, paulatim abrogatâ Idolomaniâ Pontificiâ. Quæ Conciones poſtea Typis hic ſunt excuſæ. Etſi autem variè tentaretur. Nobilis, tamen conſtanter in agnita veritate perſeveravit ad finem.

Cumque orbus eſſet, fratrem Pontificiæ Religioni addictum, hæredem & Succeſſorem inſtituit, hâc conditione diſertè additâ: ne Religionem à ſe inſtitutam mutaret, neve ullum unquam officium, in templo, Sacrificulum Pontificium facere permitteret, ſub pœnâ privationis omnium acceptorum à fratre bonorum. Quod & religioſè hic obſervavit. Jam filius hujus Joſephus egregius Nobilis, recteque in doctrinâ verbi Dei inſtitutus, pagum poſſidet, & Religionem puram conſervat.

Anno 65. Haganoam Imperialem civitatem, ad inſtituendam Eccleſiam eſt vocatus, menſe Novembri, 30. ejuſ- *Iter Haganoam 1565.*

dem

Digitized by Google

dem mẽſis die, qui Apoſtolo D. Andreæ ſacer eſt, primam habuit Concionem; manſit menſem ibidẽ & demum Januarii ſequentis anni, die octavâ, receſſit. Plurimas autẽ de præcipuis Religionis Chriſtianæ capitibus, Conciones dedit, quas poſtmodum impreſſas evulgari curavit. Dedit autem Eccleſiæ recens à ſe plantatæ Paſtorẽ, Philippum Heerbrandum, Theologiæ Doctorem, fratrem meum chariſſimum, cujus curriculum brevius fuit. Cum enim ibi decennium integrum fideliter ſuo munere functus eſſet, in ſtatione ſuâ piè & placidè in Domino obdormivit.

Conciones Eſſlingæ habitæ. 1567.

Anno 67. cum Academia noſtra Eſslingæ propter peſtem hîc ſerpentem, commoraretur, & Eslingenſes paſtore careret, à Magiſtratu illius loci compellatus per integrum annum, vice & loco Paſtoris, frequentes ibidem dedit conciones, quibus errores varios & præcipuos, Pontificiorum, Cinglianorum, Anabaptiſtarũ, & Schvvenckfeldianorum, refutavit, quod horum opinioni-

bus

bus cives nonnulli eſſent infecti: quas & ipſas rogatus in lucem dedit.

Videre hîc eſt, quam impiger fuerit ad labores, & ſtrenuus Chriſti Jeſu miles, quod ubicunq; potuit, officiũ fecit, nullã prætermittẽs occaſionem, Domino ſuo aliquos lucrifaciẽdi & adducendi, ut pomœria regni ipſius dilataret.

Poſtea anno 68. mortuo Henrico Duce Brunſuicenſe, filius, hæres, & ſucceſſor unicus, Julius, cum jam Patre ſuperſtite Religionem noſtrã amplexus eſſet, eandẽ defuncto Parente, ſubditis quoq; ſuis, quorum ſibi curam demandatam divinitus ſciebat, de mutatione Pontificiæ Religionis cogitavit: cumq; jam per omnẽ fama Germaniam, de noſtro Cancellario percrebuiſſet, hunc ſibi à Cognato ſuo, Duce Chriſtophoro, ad ſuas piè reformandum Eccleſias, mitti petit: & facilè, quæ erat Ducis Chriſtophori, in propagandâ ſincerâ doctrinâ, pietas, ſtudium, & Zelus, impetrat. *Reformatio Ducatus Brunſuicenſis. 1568.*

Egreſſus itaq; Noſter Auguſti 29. Septembris 15. Wolffenbytũ pervenit, ubi cum Reverendo, & de Eccleſiâ Chriſti opti-

optimè merito, viro Doctiſſimo, D. Martino Chemnitio, S. S. Theologiæ Doctore celeberrimo, clariſſimoque de toto negotio, aliis quoque adjunctis viris, pietate & ſapientiâ præſtantibus, Julio quoque Duce ipſo præſente, de conſtituendis piè Eccleſiis deliberatum eſt graviſſimè. Comprehenſa itaq; eſt literis Ordinatio Eccleſiaſtica, & Miniſterium verbi divini, ſecundum ſacram ſcripturam, conſtitutum. Et quia idoneorum ibi Eccleſiæ Miniſtrorum copia non erat, ex Stipendio Illuſtri; hinc quidam miſſi ſunt, quorum nonnulli adhuc illic verſantur.

Conatus Concordiæ ſanciendæ

Acceperat autem Noſter diſceſſurus hinc in mandatis, ab Illuſtriſſimo noſtro Principe Duce Chriſtophoro, ut ſimul oblatâ hâc occaſione, declarationem conſenſus Miniſtrorum in Eccleſiis Saxonicis, cum aliis ſinceris Eccleſiis, quæreret & impetraret. Verùm cum id tum commodè fieri non poſſet, quod de obitu Optimi Principis Chriſtophori, piæ memoriæ, certior factus eſſet, rejecto & dilato hoc Concordiæ

nego-

negotio in tempus commodius, conſtitutis Eccleſiis Brunſuuicenſibus, domum properat, 12. Februarii huc reverſus.

Deinceps Aprilis 3. Heidelbergam ad privatum Colloquium de Cœnâ Domini, cum Electore Friderico proficiſcitur, unde 12. ejusdem revertitur.

Colloquiũ cum Electore Palatino.

Paulò poſt, hoc eſt, Junii 27. ad Ducem Julium rediit, accepto viatico à Duciſſâ, viduâ Principis Chriſtophori, ut ad Saxonicas, & maritimas civitates iter ſuſcipiat, & de conſenſu voluntates Miniſtrorum exploret. Ubi ad loca quamplurima, civitates per univerſam Saxoniam inferiorem, Eccleſias & Regna, Daniam quoque profectus eſt, uſque ad finem ejus anni.

Iter ad Maritimas urbes, & Daniã, ob compoſitionis ſtudium.

Anno 70. menſibus Januario & Februario, Miſniam, Dresdam, Vinariam, Wolffenbytum, Berlinum, ad Electores & Principes, Auguſtum, Julium, Marchionem Brandenburgenſem Johannem. Poſtea Martii 9. cum Julio Duce Brunſuicenſe, Pragam eſt profectus, ubi Imperator Maximilianus 2. piæ memoriæ,

Peregratio multarum provinciarũ 1570.

riæ, Noſtrum, cum de adventu ipſius in urbem, certior eſſet redditus ad ſe vocavit Martii 16. & 17. & ſemotis omnibus, privatim cum ipſo de negotio Concordiæ, in quâ plurimùm Noſtrum laborare cognoverat, confert, procurante hoc procancellario D. Zaſio. Approbavit autem Imperator ſapientiſſimus ſtudium D. Jacobi noſtri, hortatusq; eum ut ſtrenuè pergat in opere cœpto, neq; cujusquam clamores aut calumnias curet, ſeve ab inſtituto revocari patiatur, mercedemque laboris à Deo ſibi repoſitam expectet. Atque ita clementiſſimè à ſe demittit. Itaque 18. ejuſdem menſis cum Julio Duce Brunſuuicenſe Pragâ diſceſſit, & 22. coram Electore Saxoniæ Auguſto concionatus eſt. Aprilis 12. Synodus Wolffenbyti habita, cui interfuit noſter Cancellarius. Dehinc Maii 7. profectus eſt ad conventum Zerveſtanum. Julii 2. concionem dedit Bernburgi coram Anhaltimo Principe. Novembris 20. concionem habuit Brunſuuigæ, ubi tum formula quædam concordiæ Eccleſiaſticæ in Saxonia,

Approbat concordiæ ſtudium Imper. Maximiliano II.

xonia, cum noſtris Eccleſiis, quam multi Eccleſiarum Saxonicarum Miniſtri ſubſcripſerunt (in quâ ſesquiannum Noſter laboraverat) proclamata eſt. Ipſe Decembris 12. anni 70. Tubingam rediit, cum abfuiſſet annum integrum cum dimidio. *Initia concordia.*

Anno Chriſti 71. menſe Julio, cum M. Chriſtophoro Bindero, Montpelgardum ad inſpectionem Eccleſiarum eſt profectus. *Inſpectio Eccleſiarum Mompelgartenſium.* 1571.

In reditu, Auguſti 10. Argentinæ cum Matthia Illyrico Colloquium inſtituit, in quo abſurdiſſimum errorem ipſius, & hæreſin Manichæam (peccatum eſſe ſubſtantiam) refutavit. Circa finem anni 72. denuò Montpelgardum eſt profectus propter negotia quædam Eccleſiaſtica. *Colloquiũ cum Matthia Flacio.* *Inſpectio Mompelgartenſis ſecunda* 1572.

Anno 73. menſis Julii 7. die, vocatus Memmingam oppidum Imperiale à Magiſtratu, & ab Illuſtriſſimo noſtro Principe, Duce Ludovico, qui jam inſiſtens veſtigiis paternis, pari pietate ſinceram colit Religionem, hancque conſervare & propagare ſtudet, quem no- *Colloquiũ Memmingenſe.* 1573.

bis & Eccleſiæ ſuæ Deus Opt. Max. quàm diutiſſimè florentem conſervet, miſſus eſt, quòd quidam Miniſter illius Eccleſiæ, M. Euſebius Cleberus dogma Cinglianum invehere conaretur, quià Noſtro in Senatu erroris convictus ab officio remotus eſt, & dimiſſus. Eccleſia autem duabus Concionibus de Concordia inter Miniſtros Eccleſiæ habitis, priſtinæ tranquillitati eſt reſtituta, tametſi ille poſtea reſponſare non ceſſaverit.

Haganoæ novi Paſtoris commendatio. Anno 75. defuncto, ut ante memini, Paſtore Haganoenſe D. Philippo Heerbrando, Eccleſia iſta & Magiſtratus alium petunt & impetrant Paſtorem, ex Stipendio Illuſtriſſimi & Clementiſſimi Principis noſtri, M. Georgium Volmarum, quem Noſter Martii 13. Eccleſiæ commendavit. Reverſus Haganoâ Junii 26. profectus eſt Alen, oppidum Imperiale, in quo hactenus Antichriſtus Romanus dominatus fuerat, ibiq; Evangelium per menſem concionatur, & Miniſtros præficit Eccleſiæ ſinceros. *Reformatio Aalenſis.*

Inde

Inde domum reverſus Julii 30. iter Lindavium (oppidum eſt Imperiale, ad Acronium, vulgò Podamicum, lacum, ſitum, amœnum admodum) ſuſcipit, ibique cum Tobia Rupio, Eccleſiæ Miniſtro, errore Flacciano imbuto, coram Senatu confert, & ſicut antea autorem Illyricum Argentinæ: ita nunc quoque Diſcipulum Lindavii in præſentia Senatus, & civium, qui frequentes & magno numero aderant auditores, quos ſuo abſurdo dogmate faſcinaverat & ſeduxerat, refutat. Cumque circa initium anni 76. à Duce Philippo Ludovico Palatino Rheni Illuſtriſſimo, propter quaſdam cauſas Eccleſias evocatus eſſet, conſentiente Duce Wirtembergico Dn. Ludovico eò eſt profectus.

Colloquiū Lindavienſe.

Profectio in ſuperiorē palatinatum. 1576.

Ratisbonenſis Magiſtratus, miſſo Legato Camerario, Domino Flettachero, Neoburgum (ubi tum commorabatur D. Jacobus) hunc ad ſe vocavit, ut componeret controverſiam, quæ erat Eccleſiæ Miniſtris cum Senatu, de Excommunicatione, quò venit Januarii 15. il-

Item Ratiſbonam.

Digitized by Google

licq; uſque ad Martii 4. ſubſtitit, donec negotium expediretur.

Interea autem hinc dum abeſſet, literis ab Illuſtriſſimo Electore Saxoniæ, Duce Auguſto, ad Illuſtriſſimum Ducem Würtembergicum Ludovicum, Dominum noſtrum clementiſſimum datis, opera noſtri Cancellarii expeditur: quod Theologos tum Wittembergenſes, dogma Cinglianum in ſcholam introduxiſſe, tenerisq; ſtudioſæ Juventutis annis inſtillare deprehendiſſet, ideoque ab officio eos removit. Ejuſdem ergo menſis 24. iter ingreſſus Torgam Aprilis 9. pervenit. Maii 27. Conventus agitur Theologorum Torgæ, graviſſimâ inſtituta deliberatione, de toto negotio Religionis, & Formulâ quâdam Concordiæ, maximè autem de diſſidiis & controverſiis, quæ hinc inde exorta erant (inter quæ principem locum obtinebat certamen cum Calviniſtis) juxta normam & præſcriptum verbi Dei componendis, & tollendis. Ad hunc autem conventum ab eodem Ele-

Iter ad conventũ Torgenſem.

ctore

ctore vocati ſunt & alii Theologi, D. D. Andreas Muſculus, & D. D. Chriſtophorus Kornelius, Brandenburgici Electoris Theologi, D. D. Martinus Chemnitius, D. D. David Chytræus, Profeſſor Scholæ Roſtochienſis, & D D. Nicolaus Seelneccerus, qui librum quendam conſcripſerunt, qui poſtea Bergæ eſt recognitus. Miſſus eſt autem noſter ab Electore Saxonico Duce Auguſto, hâc eadem de cauſâ ad Illuſtriſſimos Principes, Julium Ducem Brunſuicenſem, Ludovicum Landtgravium Haſſiæ, Dominum Georgium Marchionem Brandenburgicum. Hinc ad nos rediit uxorem & liberos, propter diuturniorem abſentiam ſecum adducturus Lipſiam: quod Elector diutius opera noſtri Cancellarii, in conſtitutione Scholarum & Eccleſiarum, ſimul etiam opere Concordiæ conficiendo, uſurus eſſet, ſibi copiam à Duce Würtembergico, miſſo Legato, Domino D. Jodoco Didamero, Landtgravii Conſiliario, fieri petierat. Arduum autem hoc fuit opus, quod magnis conſtitit laboribus,

Hinc ad varios principes.

Abduxit familiam Lipſiam.

adeoq; ferè impoſſibile videbatur, cum Pontificii perpetuò diſſidia noſtrorum nobis objicerent, ſine fine clamantes: non duos aut tres reperiri inter Auguſtanæ Confeſſionis Eccleſiæ Miniſtros, qui in omnibus de doctrinâ conſentiant. Ubi per Dei gratiam, opera & ſtudio indefeſſo noſtri D. Jacobi effectum eſt, ut magno numero aliquot millia ſubſcriberent iſti Formulæ Concordiæ, atque ita vanitat & falſitas Adverſariorum re ipsâ, facto & opere, refutata eſt. Maximo autem noſtro conſtitit labore, multis & longis itineribus opus erat, ad Principes Electores, & alios, ad Magiſtratus oppidanos, ad conventus varios & Colloquia, quæ hâc de cauſa ſunt inſtituta & agitata, quinquennio ferè continuo, quo ſtrenuè laboravit. Quas non ſuſcepit itinerum moleſtias eundo & redeundo? quæ ſingula ordine recenſere poſſem, niſi prolixitatem orationis moleſtam fore metuerem, ideoque brevitati ſtudendum, cum aliâs inter dicendum, propter rerum varietatem & magnitudinem, ſicut hactenus audiviſtis,

Quinquennium concordiæ negotio impenſum.

ſtis, præter meam voluntatem, Oratio mihi excreſcat, cum plura etiam de tanto viro mihi dicenda reſtent.

Interea enim, dum paſſim conſenſus Eccleſiarum, & ſubſcriptiones, atq; judicia libera ſingulis relinquuntur & colliguntur; Ordinationes Eccleſiaſticæ conſcribuntur, Inſpectiones & conſtitutiones Academiarum, Lipſenſis, Witembergenſis, Jehnenſis, cujus cura etiam Electori Auguſto, curatorio nomine tum incumbebat, tot Diœceſium in Electoratu Saxoniæ & Miſnenſi, nempe 48. Superintendentias, quas vocant, tot Paſtorum ſubſcriptiones locis tàm diverſis, ubi omnibus & ſingulis reddenda fuit ratio, qui aliquâ de parte libri & formulæ dubitabant. Quinam labores hîc non exantlandi?

Inſpectio multarum Eccleſiarum.

Quæ omnia ſapienter ab Auguſto Electore graviſſimo conſilio, ad Eccleſiæ & Reipubl. ſalutem conſtituta ſunt.

Defatigatus ferè ſum percenſendis, numerando ſaltem tot locorum, Regionum, itinerum, peregrinationum, Inſpectionum, Colloquiorum, Concilia-

tionum, nominibus. Ingens ſanè animi robur, patientia admiranda, quâ has potuit devorare tantas moleſtias, tot duros catenatosque ſubire & ferre labores. Multa enim milliarium millia confecit, ſolus ferè unico adjuncto famulo. Ubi hoc admiratione dignum, quod ex ore ipſius aliquoties audivi: quod in omnibus illis itineribus, nemo illi factus fuerit obviam, qui ipſum interpellaverit, nedum moleſtiam aliquam creaverit.

Concordia in lucem edita 1580.

Tandem anno 80. prodit liber maximo multorum deſiderio expectatus, magnaq; noſtrorum gratulatione à tribus Electoribus Imperii, Principibus 21. Comitibus 22. Baronibus 4. Civitatibus Imperialibus 35. Miniſtris Eccleſiæ 8000. ſubſcriptus & approbatus, præcipuè verò ſtudio, autoritate, judicio, & ſpiritu planè Heroico Auguſti Electoris Saxoniæ, labore autem & opera D. D. Jacobi Andreæ, collatis tamen & communicatis antea ſententiis, cum prædictis Theologis præſtantiſſimis, & liberrimis omnium Eccleſiarum, Docto-

ctorum & Miniſtrorum Judiciis & notationibus.

Quo nomine uterque de totâ Chriſti Eccleſiâ optimè eſt meritus. Quàm enim utile, quamque ſalutare fuerit & ſit opus illud Concordiæ; quo certamine & controverſiæ, quæ in Eccleſias irrepſerant, ad normam SS. Scripturæ, dextrè & piè ſunt dijudicatæ, ſopitæ; & ex Eccleſiis noſtris extirpatæ; conſenſus pius in omnibus partibus doctrinæ conſtitutus, pax & tranquillitas Eccleſiis reſtituta: Hæc tanta bona paucis dici non poſſunt; & alterius ſunt loci & inſtituti. Ut ergo ſalutaris fuit noſtri Cancellarii opera, in hoc univerſæ Eccleſiæ negotio: ita grata fuit inprimis Electori Auguſto. Quod cum multis aliis modis ſingularem ſuam erga hunc præſentem & diſcedentem declaravit clementiam, cum dono non contemnendo, theſauro videlicet eximio chartaceo, Bibliorum AntWerpienſium opere Complutenſi inſigni, quod D. Jacobo benè compactum dedit, teſtatus eſt. Nec id ſolum, ſed & quod longè

majus eſt, & honorificum magis, cum hâc inſcriptione in fronte Bibliorum, graviſſimo judicio, quo actiones Noſtri omnes, grato animo clementer approbavit, commendavit, confirmavit, eleganti ſtilo picta, in hæc verba, & hoc modo:

D. O. M.

GRATIA

D.

AUGUSTUS DUX SAXONIÆ
S. Rom. Imperii Archimarſchalcus, &
Elector, Landtgravius Turingiæ,
Marchio Miſniæ, & Burggravius Magdeburg:

Hæc

SACROSANCTA BIBLIA, Summo viro, pietate, doctrinâ & virtute ornatiſſimo, D. Jacobo Andreæ, S Theologiæ Doctori celeberrimo, doctrinæ cœleſtis, ab ultimi Heliæ, D.D. Lutheri morte, in his regionibus, ab hominibus

bus leviſſimis corruptæ, Inſtauratori integerrimo, de Eccleſiâ Chriſti optimè meritò,

Ob grati animi memoriam
ſempiternam dono dedit

Anno s.
M. D. LXXIX.

Et manu propriâ ſubjunxit & ſubſcripſit ſequentia:

Tandem bona cauſa triumphat,
Auguſtus Dux Saxoniæ Elector.

Poſtea omnibus peractis, & optimè in Eccleſiis & Scholis conſtitutis, atque vigentibus & florentibus, bona gratia ab Electore, in fine octogeſimi anni, Decembris 21. clementer eſt dimiſſus.

Sed à multis hoc nomine peſſimam inivit & retulit gratiam. Propter ſtudium enim pacis & concordiæ, quanta, bone Deus, coactus eſt audire convitia? dum à quibuſdam accuſaretur, quod Chriſtum & Belial, lucem & tenebras, bona & mala confundere, & in unum chaos redigere vellet.

Et quidem verum eſt, vehementer eum in hoc laboraſſe, ut diſſidentes conciliaret, concordiæ ſtudens, ſalva tamen ſemper veritate, de qua ne minimum quidem decedere unquam voluit, quod ex Libro Concordiæ, in quo annos quinque circiter continuos ſtrenuè laboravit, luculenter apparet.

Duæ protectiones ad Comitem Hohenloenſem.

Poſt reditum itaque ex Saxonia, anno &c. 81. bis à Generoſo Domino Wolffgango Comite in Hohenloe propter certa quædam negotia vocatus, egreſſus eſt.

1581.

Amiſſio uxoris primæ.

1583. 23. Iulii.

Anno 83. nova quædam eum excepit & exercuit calamitas domeſtica, piè defuncta ipſius uxore, cum quâ conjunctiſſimè vixerat annos 37. ſepulta in die feſto D. Jacobi Apoſtoli, cujus obitu vehementer fuit perturbatus, ſuamq; orbitatem ſæpè diù multumque deploravit, neque ſine vulnere domum ingredi potuit, quod ſæpè nobis eſt conqueſtus.

Secunda Inductio.

1585. 16. Febr.

Exacto ſesquianno, piam & honeſtam viduam, Reginam Prentzingerinam, quæ maritum priorem, propter Religionem ſinceram ſecuta, in Exiliũ

ſponte,

ſponte, deſertâ patriâ, Ratisbonam migraverat, duxit uxorem, cujus virtutes Matronâ piâ & ſanctâ dignas ſæpè commendavit.

Cumque Calviniſtæ Orthodoxum ſuum conſenſum edidiſſent, nemoque prolixum Librum refutandum ſuſciperet, commendata eſt illius Refutatio, publicâ autoritate D. Jacobo Cancellario noſtro. Qui eadem hyeme, anni 83. & 84. opus ingens & arduum de rebus graviſſimis, controverſia nempe & cauſa univerſa, de Perſona Chriſti, unione Perſonali, Communicatione Idiomatum, veraq; corporis & ſanguinis ipſius, non ſolùm in Cœna ſacra, ſed & in toto terrarum orbe præſentia, feliciter per Dei gratiam abſolvit. Contra quem librum ne hiſcere quidem Adverſarii ſunt auſi. *Editio Orthodoxi conſenſus. 1584.*

Ubi ſilentio non prætereundum putavi, quàm odiosè non ſolùm ab apertis hoſtibus, ſed etiam clandeſtinis, & ſemi Cinglianis, qui tamen ſibi pulchrè ſapere, & rectè de verâ veri corporis & ſanguinis Chriſti præſentiâ in Cœna ejus,

Digitized by Google

jus, ſentire videntur, adeoq; Pontificiis Doctoribus exagitatus & flagellatus ſit Noſter, excogitato ab ipſis monſtroſo & portentoſo, monſtroſæ Ubiquitatis, cujus Patrem & Patronum ipſum faciunt, vocabulo. Quâ docuiſſe eum carnalem & localem corporis Chriſti non ſolùm in Cœna, ſed etiam omnibus in locis, quantumvis obſcœnis, herbis, foliis, lapidibus, cantharis cereviſiariis, præſentiã, qua corpus ipſius per omnia diffundatur, expandatur, & cum divinitate ejus coextendatur, adeoque Cyclopicam quandam lanienam corporis Chriſti in cœna, & cruentam ſanguinis ejus potationem, & ſic Thyeſteam cœnam ſub nomine Ubiquitatis, turpiſſimè mentiuntur, cum ne quidem Divinitatem per omnia expandi & extendi docuerit loca, ſiquidem Spiritus. Hocq; modo & hac calumnia non ſolùm perſonam Noſtri, ſed dogmata quoq; exoſa reddiderunt, cum horum nihil ille docuerit, neque ex ſcriptis ejus vel noſtrorum probari, aut monſtrari poteſt. Neque ipſe doctrinæ de totius Chriſti præ-

ſentia

Digitized by Google

ſentia in omnibus locis, propter perſonalem divinæ & humanæ naturæ unionem inſeparabilem, ſecundum modum Majeſtatis & ſeſſionis ad dexteram Patris author fuerit. Sed hanc primùm ex ſacræ ſcripturæ, deinde Patrum Orthodoxorum veterum atque Lutheri illius Magni (quem Auguſtus Elector Saxoniæ, ut dictum eſt, ultimum Heliam vocavit) ab annis 60. & multorum aliorum ſincerorum Doctorum per Germaniam, teſtimoniis comprobavit.

Et viderint iſti, qui de totius Chriſti in cœna præſentia vera & reali, nobiſcum ſentire videri volunt, quomodo cum tam diverſis locis, mille & amplius Cœna Domini, uno & eodem tempore ac momento celebretur, Chriſtum omnibus illis ſimul præſentem adeſſe, ſtatuere, ſicque in cœna retinere, negatâ ipſius omnipræſentiâ in omnibus locis, vel ubique, poſſint. Et cur eam negent, cauſam non habent. Sicut rectè Petrus Martyr dixit: quod ſi Chriſti corpus duobus vel tribus locis ſimul præſens eſſe probetur, ſe de Ubiquitate verbum amplius

plius unum facere nolle. Nam quod dicunt iſti, virtute verbi in cœnâ Chriſtum ſuo corpore adeſſe miror, quomodo non idem verbum de omnipræſentia ejus, in ſcriptura ſacra, videant; de quo paulò poſt.

Ubiquitas autem corporis Chriſti, quam D. Jacobus docuit, non eſt, ut Cingliani falsò & malitiosè ipſi imputant, hocque nomine paſſim illum infamarunt; quod in omnibus herbis, plantis, foliis arborum, & creaturis, ut jam dictum eſt, expanſus ſit. Neque etiam corporalis vel localis præſentia, qua videri vel palpari poſſit, quemadmodum ſtramen in ſacco: ſed quod totus Chriſtus, & non ſua tantum divinitate, ſed etiam aſſumptà humanitate, & ſic totus, Deus & homo indiviſus, ubique in cœlo & in terra omnibus creaturis, viſibilibus & inviſibilibus, cœleſtibus & terreſtribus, cœleſti tamen, ſpirituali, & ſupernaturali, humanaque ratione imperveſtigabili modo, verè tamen adſit præſens, omniaque etiam ſecundum humanam naturam videat, faciat, audiat,

Digitized by Google

diat, ſciat, & præſens non abſens (ut Rex Hiſpaniarum Indiam) adminiſtret & regat. Hoc eſt enim, quod ſedere ſcribitur Chriſtus, ad dextram patris collocatus, quod omnia præſens gubernet in cœlo & in terra, non quidem ratione divinæ naturæ, quæ eſt ipſa Dei dextra, ſed ſecundum humanam ſuam naturam, quam ex D. virgine Maria aſſumpſit, ſedet ad dexteram Dei patris Omnipotentis. Dextera porrò Dei, non corporeum aliquod membrum eſt aut dicitur. Spiritus enim eſt Deus, nec dextrum aut ſiniſtrum habet, nec locum etiam certum quendam in cœlis: ſed Dei Omnipotentiam, quæ cœlum & terram implet, ſubjectis ſub pedibus ejus omnibus creaturis, ſignificat. Ad hanc cum Chriſtus ſedeat ſecundum humanam ſuam naturam, & ſic in thronum Dei proprium, Majeſtatis ſcilicet & virtutis ejus ſit collocatus: Ideo Paulus articulum hunc Symboli de ſeſſione hominis Chriſti ad dextram Dei, hoc modo, hisq; verbis declarat: Deus Chriſtum collocavit ad dexteram ſuam in cœle-

Pſalm. 110. 1.
Eph. 1. 20.
Pſal. 8. 7.
Eph. 1. 20.
c. 4. 10.

Digitized by Google

cœleſtibus, ſuper omnem Principatum & Poteſtatem, & virtutem & Dominationem, & omne nomen, quod nominatur non modò in hoc ſeculo, ſed etiã in futuro, & omnia ſubjecit ſub pedibus ejus. Hic aſcendit ſuper omnes cœlos, ut adimpleret omnia. Super quæ Apoſtoli verba, Lutherus ter maximus annotavit: Chriſtus eſt, & operatur omnia in omnibus creaturis, ideò omnis creatura ejus plena eſt. Hinc ipſe dicit: ubicunque duo vel tres congregati ſunt in nomine meo, in medio illorum ſum. Et iterum: Ecce ego (non dicit virtus mea, divinitas mea, hæc enim ſola non eſt Chriſtus, nec ſpiritus meus, ſed ego Chriſtus Deus & homo, una indiviſa perſona) vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſeculi. Unde Lutherus: nolo mihi Chriſtum dividas, ut ſolùm uno in loco, supernè in cœlo, Deus & homo ſit aliis verò omnibus Deus tantùm, & non ſimul etiam homo ſit, hunc Chriſtum ego nolo, qui uno tantùm in loco Deus ſit & homo, aliis verò omnibus ſolùm Deus.

Matth. 18.20.

Matth. 28.20.

Hæc

Hæc cùm toties dicta & ſcripta ſint, cum à Luthero ante annos 60. & amplius, aliisque rectè ſentientibus Theologis noſtrâ ætate & memoria, magno conſenſu & ſpiritu, ac veritate, ex ſcriptura ſacra teſtimoniis depromptis, ſicut alibi ſunt à noſtris collecta, ſcripta ſint & extent: tamen maleferiati homines, quaſi iſta nunquam viderint, audiverint, legerint, odioſiſſime Noſtro, mõſtroſam ſemper Ubiquitatem affingere & objicere non ſunt veriti, eumque, etiam à propria conſcientia convicti, hoc tamen nomine flagellaverunt, cum toties contra ſit proteſtatus.

Sed redeo, unde ſum digreſſus in mea oratione, ad res geſtas & peregrinationes D. Jacobi, quas Religionis causâ in Eccleſiaſticis ſuſcepit negotiis, ubi ſe offert nobis celeberrima illa Montpelgardenſis Diſputatio, quam cum Beza habuit, anno 86. menſe Martio, in qua collocuti ſunt, de Cœna Domini, de perſona Chriſti, de Prædeſtinatione, de Baptiſmo, & templorum Pontificiorum Reformatione, atque Adiaphoris, quæ *Diſputatio Mompelgartenſis.* 1586.

quia

Digitized by Google

quia typis excuſa eſt, quidq; quantumq; uterque præſtiterit, notum ſit ex Actis, nolo quicquã hic addere. Herculeos autem labores Noſtri, omnibus conſiderandos relinquo.

Profectio Nordlingam. 1587. Anno 87. Nördlingam oppidum Imperiale in Rhetia ſitum, vocatus eſt à Senatu illius, menſe Aprili; ad negotiũ quoddam Eccleſiaſticum componendum. Quo confecto, in reditu non procul hinc, in Alpibus, pago quodam Gechingen, febri correptus eſt 29. Aprilis, *Morbus gravis.* qui morbus uſque ad 11. Maii duravit, quem morbum cordis palpitatio ſecuta eſt cum Cholica. In hoc morbo ad ſe vocavit Rectorem & Senatum Academicum, coram quibus ſuam fidem eſt confeſſus, idque maximè hâc de cauſsâ, ut ſe mortuo, teſtimonium ipſi perhiberent, de fidei ſuæ confeſſione; & conſtantia propter Adverſarios, quorũ calumniis ſit obnoxius. His malis valetudo ejus afflicta eſt ſatis duriter; usque ad Junii quartum diem, quo primùm colligere vires cœpit. Hinc ad balneos Zellenſes, menſe

menſe Auguſto, ſe contulit, confirmandæ valetudinis cauſa.

Unde rediens, Ratisbonam menſe Octobri, à Magiſtratu illius loci, ad componendam Quæſtionem Miniſtrorum illius Eccleſiæ, de uſura, vocatus, proficiſcitur, ibique permanſit, uſq; ad 26. Januarii, anni 88. Quia verò magna ex parte, Concionibus publicis, & aliis ſcriptis Dominorum Jurisconſultorum comprehenſa, typis excuſa, & evulgata extant: longiori commemoratione ſuperſedeo, ut ad alia accedamus. *Iter Ratisbonam. 1588.*

Hinc enim rectà Onolspachium ab Illuſtriſſimo Principe ac Domino, Domino Georgio Friderico Marchione Brandenburgico vocatus contendit, quo Cal. Febr. venit: quod aulicum haberet concionatorem, qui de erroribus Calviniſticis erat ſuſpectus, callidè tamen id diſſimulans in Concionibus. Cujus errores detexit, ex chartis quibusdam ab ipſo ſcriptis, quibus non bonâ fide ex noſtrorum, & D. Jacobi ſcriptis, collectis teſtimoniis, illos ſecum convenire, hincque ſuum confirmare erro- *Et Onoſpachium.*

errorem, & probare conabatur. Convictus autem, cum errores ſuos agnoſcere nollet, ſed pertinaciter retinere, ne plures inficeret, à Miniſterio remotus eſt.

Edito Colloquio Montpelgardenſi, de quo paulò ante, cui etiam interfuerant Bernatum Theologi, & inter hos Abraham Muſculus, adjuncti Bezæ: Dominus Samuel Huberus, lecto libro, cum abſurda, impia, ac horrenda Bezæ dogmata in Theſibus ejus reperiſſet. 1. Chriſtum non pro omnibus hominibus eſſe mortuum. 2. promiſſiones Evangelii eſſe particulares, non univerſales. 3. Abſoluto Dei decreto, abſque ulla antegrediente cauſa, pleroſque homines, una & ſola Dei voluntate, causâ rerum omnium, reprobari. 4. In baptiſmo nullam ſalutis certitudinem eſſe quærendam: contra hæc diſputare cœpit. Itaque vocati ſunt à Bernatibus, Beza, Jacobus Grynæus, Guilhelmus Stuckius Tigurinus, & Johannes Jetzlerus Schaffhuſanus, Theologi, qui cum iſto diſputationem inſtituerunt. Cumque hi ad

hi ad Magiſtratum de diſputatione referrent, ſignificaverunt, nihil horum à Beza & Muſculo, in Colloquio fuiſſe propoſitum (intelligebant enim dogmata iſta in Eccleſia Bernenſi non habitura locum) ſed Huberum, libro Tubingæ edito, & mendaci evulgato (Acta Colloquii Montpelgardenſis notare volentes) à D. Jacobo, dolo malo afficta eſſe, temerè crediddiſſe. Quæ res cùm non ſolùm ad injuriam D. Jacobi, ſed etiam Illuſtriſſimi Principis ac Domini, Domini Friderici, Comitis Wirtembergici & Montpelgardenſis, ſpectare judicaretur, qui Acta iſtius Colloquii ſua Præfatione & teſtimonio confirmaverat: jam non ſcripto, ſed voce coram refutendam iſtam calumniam & injuriam atrociſſimam, viſum eſt.

Decreta itaque Legatio eſt, quâ Noſter, adjunctis aliis Politicis, à Principibus duobus Wirtembergicis, de illa conquererentur apud Senatum Bernenſem, & propitio Deo Septembris 4. Bernam venére, atque à conſule, & Magiſtratu audiri ſe petierunt, ut exponerent *Legatio Bernenſis.*

rent

rent ea, quæ à ſuis Principibus, in mandatis accepiſſent. Quod negatum illis non eſt.

Sexta enim Septembris, pro more Reipublicæ ad minorem Senatum, qui conſtat ex præcipuis Capitibus, intromiſſi: prolixa oratione D. Jacobus de injuria iſta graviter conqueritur, Principique Friderico, & ſibi honorem ſuum reſtitui petit à Theologis Helveticis. Secundò docet, articulos iſtos quatuor ab Hubero reprehenſos, in Theſibus à Beza conſcriptis, manuque reliquorum Theologorum ſignatis & approbatis, contineri, eorumque Chirographa ſe in medium proponere paratum. 3. Multa quoque alia à Calviniſtis proſeminari dogmata non minus abſurda atque illa.

Poſt multa, quæ tùm publicè tum privatim utrinque ſunt dicta, D. Jacobus ſignificavit, ad ſedandos motus, ad conſervandam famam Reipublicæ Bernenſis, nullam ſibi videri expeditiorem viam ac rationem, quàm ſi utrinq; Helvetici & Wirtembergici Theologi conveni-

veniant, atque autographa, cum excuſo conferantur libro, facilè tum appariturum, qua fide vel perfidia Theologi iſti ſuam cauſam propoſuerint.

Placuit hoc conſilium conſuli & Senatui. Itaque 7. Septembris profertur ſententia: Omnibus probari conſilium, quod D. Jacobus ſubjecerat, ſeque ſcripturos hâc de re ad Illuſtriſſimos Principes, ut illi quoque conſentiant, ſimiliter quoque ad Helveticas Reſpublicas, ut illæ quoque conventui celebrando, conſilium & auxilium præſtent. Nec quicquã intermiſerunt Bernates, quod ad promovendum conventum faceret. Sed variis modis à Theologis Helveticis conventus eſt impeditus, quod intelligerent, cauſam malam ſe fovere.

Cum igitur animadverterent Theologi Helvetici, Bernenſem Senatum D. Jacobi ſermone plurimùm permotum, omnibus quibus potuerunt modis obſtiterunt, diſſuaſerunt, præcaverunt, ne Conventus iſte inſtitueretur, ſicut Abraham Muſculus ad Grynæum 26. Septembris tum, quid Legati Wirtember-

gici Bernę impetraverint, ſcripſit: Quod ſummo honore affecti diſceſſerint, re licet non quidem ex animo perfecta, non tamen infecta, cum plurimos à Schmidlino faſcinatos fuiſſe, hactenus deprehenderimus. Expectatur veſtri Magiſtratus reſponſum, cui non dubito, quin tu quoque author & ſuaſor ſis futurus, detrectandi tam infructoſi & periculoſi conventus. Hactenus illius verba.

Incidit & infelix bellum Bernenſium, cum Duce Sabaudiæ, quo conſilia iſta de conventu Theologorum etiam ſunt impedita. Commodè tamen & peropportunè factum eſt, ut in Senatu virorũ ſapientia, virtute, & pietate præſtantium, Noſter Confeſſionem ſinceræ doctrinæ de controverſiis articulis, inter nos & Helveticos Theologos, proponeret, & copioſâ oratione explicaret.

Coloquiũ Badenſe. Poſtrema actio publica, & Colloquiũ fuit Badenæ, anni præcedentis, menſe Novembri. Cum enim, ut ſupra dictum eſt, ante annos 33. Eccleſias Marchionatus Badenſis, quæ ad Illuſtriſſimum Principem Carolum Marchionem, Do-

minum

minum olim meum clementiſſimum, pertinebant, abrogato impio & Antichriſtiano Papatu, juxta doctrinam Evangelii, & formulam Confeſſionis Auguſtanæ, quam ipſe amplectebatur, reformaſſemus: Johannes Piſtorius Nidanus, Medicinæ Doctor, patre pio, & docto Theologo, Superintendente olim Haſſiæ, natus, poſtquam in aulâ ipſius medicinam feciſſet, eoq; mortuo, Piſtorius ad Calviniſtarum inclinaret ſectam, ad Papiſtas jam totus defecit, palamque impietatem iſtam profitetur, atq; omnibus, quibus poteſt modis, inprimis ſua Sophiſtica fretus, defendere conatur. Hujus conatibus nos oppoſuimus; Conventum eſt itaque Badenam, & Colloquium inter D. Jacobum & Piſtorium inſtitutum. Quod cum biduũ duraſſet, Piſtorius abrupit, quod Acta, quæ ſub prælo ſunt, teſtabuntur. Ideoq; prolixiorem ejus hîc quoque commemorationem omitto.

Poſt reditum, quod Diſputatio de Eccleſia vix inchoata, mox, ut dictum eſt, abrupta eſſet; cogitavit D. D. Jacobus,

quonam modo argumentum propoſitum, copioſè & perſpicuè explicari poſſet: quandoquidem Colloquium vix dum inchoatum, intempeſtivè erat abruptum. Itaque deſcriptionem illius adornare cœpit, propoſitis à Jeſuita & Lutherano Theologo, utriusque partis argumentis, & in medium adductis, coram Præſide veritatis cognoſcendæ ſtudioſo, non ſecus, ac ſi præſentes colloquerentur. Idq; tantâ animi, & omnium virium corporis contentione, tanto ſtudio fecit, ut coram me profeſſus ſit ſe optare, ut ſi fieri poſſet, non ſolùm utraq; manu, ſed etiam pedibus ſcribere queat: nec aliter ſe affectum eſſe, quàm ſi quis inſtaret, & vehementer urgeret, adque properandum inſtigaret. Singulis autem diebus complura folia ſcripſit, quæ mihi quotidiè ferè veſperi tanquam penſum ſuum, legenda miſit. Quod ſcriptum duabus ſeptimanis abſolvit, ea ipſa die, qua in morbum incidit, poſtremam manum admovés, verè κύκνειον ᾆσμα, Cygnea cantio.

Vltimum ſcriptum, repræſentatio colloquii inter Ieſuitam & Lutheranum.

Dixi hactenus de peregrinationibus, labo-

laboribus itinerum, legationibus atque certaminibus, non quidem omnibus ac ſingulis, quis enim omnia (niſi multis horis) enumeraret: ſed præcipua attingere volui, ut cognoſceretur, quam impiger fuerit ad labores perferendos pro gloria Chriſti, ejusq; Eccleſiis vel plantandis vel reparandis, quibus ego vel ſaltem commemorandis ſum defatigatus. Ipſe verò, tanquam bonus miles Chriſti, ſtrenuus & indefeſſus, omnia iſta fortiter, magnoque ſuperavit animo.

De Julio Cæſare ſcripto relictum eſt, quinquagies cum hoſtibus ſigna eum contuliſſe. Simile quid Autores referunt de Henrico Imperatore ejus nominis quarto, quod ſexagies bis cum hoſtibus ſit congreſſus. Hic noſter Andeſignanus, numero non paucioribus, ſed multò pluribus præliis, cum diverſis Adverſariis congreſſus eſt, & ſuperior ac victor evaſit, gladio Spiritus, quod eſt verbum Dei, fretus & uſus. Sunt autem hæc certamina Eccleſiaſtica longè pulchriora iſtis, cùm ſint plerumque

Digitized by Google

incruenta (niſi ubi Phariſæi lapides tollunt, quos jaciunt in Chriſtum & Diſcipulos ejus, ubi nece eorum putant ſe litare Deo, obſequiumque illi præſtare gratiſſimum) & victi nullam iſthic faciunt jacturam, ſed ſi agnoſcant, & cedant veritati, dantes gloriam Deo ſalutem conſequuntur perpetuam. De quo pugnæ & victoriæ genere, Pſaltes olim cecinit, quod Apoſtoli eorumque veri ſucceſſores tranſeant per vallem lachrymarum, fontes faciant atque effodiant in ea, ac progrediantur de victoria in victoriam, ut appareat, quod Deus ſit in Sion.

Principibus noſtræ Religione notus & gratus fuit, cumque eis converſatus. erat enim in converſatione ſuavis, humanus & gratus.

Magna autem cura & ſolicitudine tenebatur Eccleſiarum omnium, ſive in quibus fuerat, ſive non fuerat, ut ſæpè hoc Apoſtoli repetiverit: incumbit mihi ſolicitudo Eccleſiarum omnium.

Maximè verò, cum intelligeret, vel ſeduci, vel deficere Eccleſias ab agnita veri-

Digitized by Google

veritate, vel aliis deformari ſcandalis, aut diſſidiis earum perturbari pacem: Ibi tum ejusdem ingeminabat Apoſtoli: quis ſcandalizatur, & ego non uror? quæ utraq; me ex ipſo ſæpè audire memini. Habuit enim & hoc quoq; cum eodem Apoſtolo commune (ſi licet magnis componere parva, ſcio enim odioſas eſſe comparationes, cum tamen parva hæc non ſint) quod poſt ipſius diſceſſum, in benè & rectè conſtitutis Eccleſiis nonnulli defecerint. Quod proh dolor res ipſa plus ſatis teſtatur & loquitur, eventuſque docuit & docet, ſicut illic à pſeudo apoſtolis ſeducti Galatæ. Et in Eccleſia Corinthiorum, ſcandala, ſciſmata, diſſenſiones, hæreſes etiam ſunt exortæ. Et poſt ſuum diſceſſum, Epheſi idem futurum, Apoſtolus vaticinatur. Quæ viro noſtro, zelo pietatis ferventi, ſupra modum doluerunt, ubi etiam eorum, quæ ad emendationem facere videbantur, præſens, vel abſens, per literas crebras, nihil prætermiſit.

Quid de aliis ipſius laboribus dicam? de ſcriptis ejus, de Diſputationibus variis,

Digitized by Google

riis, plurimis, quibus materias graviſſimas & difficilimas tractavit? de Concionibus frequentiſſimis, quas ad populum dedit, & poſtea multas deſcripſit & evulgavit. Quid de libris ab ipſo vario argumenti genere ſcriptis, editis, propemodum innumeris, quibus Germaniam fideliter erudivit, cum contra Calviniſtas, tùm Papiſtas, & alios. Eſt quidam vir doctus & dives, qui ſe varia ejus habere ſcripta, numero centum quinquaginta, huc nuper perſcripſit. Quid multis opus eſt verbis, ut uno complectar omnia: tota ipſius vita, hinc à puero, continuus fuit labor, & actio perpetua. Unde maximum ſibi comparavit uſum, plurimarumque rerum maximarum experientiam, cū aliâs quoque ingenio eſſet ſagaci, judicioque acri.

Scripta innumera.

De vita ipſius privata, & moribus, multa dicere, temporis anguſtia excludor, honeſtam illam & irreprehenſibilem egit, vitæ innocentia & pietate ornans Miniſterium, benè rexit familiā, quam habuit copioſam & obſequentem.

Mores.

tem, itaut quamvis abeſſet plurimum, tamen etiam abſens præſens fuerit ſuis, admonitionibus ad Dominum, inq; officio ſuos, autoritate ſuâ continuerit, ne peccarent, ſed in omnibus obtemperarent liberi. Nec ex malitia aut propoſito peccavit ipſe. Homo tamen fuit, non Angelus.

Et multæ, & magnæ ſunt infirmitates humanæ Sicut & agnovit & confeſſus eſt defectus ſuos, ac remiſſionem peccatorum credidit, & feriò petiit à Deo, & hominibus, ſi quos offendiſſet. Fatebatur enim cum Apoſtolo Paulo, ſe non ſemper bonum facere, quod vellet, ſed malum, quod non vellet. *Rom.7.19.*

Mentem etiam habuit futuri præſagam in multis, quemadmodum & ſuæ mortis inſtantis. Nam cum rectè adhuc valeret, nec ulla adeſſent morborum indicia, aliquoties hoc anno mihi dixit, animum ſuum ſibi præſagire, ſe non fore diu amplius ſuperſtitem, hujusque vitæ ſe pertæſum, cupere emigrare, & eſſe cum Chriſto, quod multò ſit melius. *Phil.1.23.*

Item hoc quoque multoties repetiit

anno

anno præterito: ubi templi renovatio & ornamenta Organi, tubæ, dulce melos, & horologium novum in turri templi abſoluta fuerint, poſtea moriar.

Et proximè, cum Badæ eſſemus, filio ſuo D. Magiſtro Johanne, Herrenbergenſis Eccleſiæ Paſtore, & vicinarum Superintendente præſente, mihi dixit: tu mihi parentabis, & alia quædam. Quibus omnibus, proh dolor, eventus triſtiſſimus, exigui temporis mora interveniente, reſpondit, ſicut hodierna dies teſtatur.

Nam cum Deo Opt. Max. viſum eſſet, fideliſſimum ſuum Miniſtrum rebus eximere humanis, èque hoc ergaſtulo corporis liberare, 18. Decembris in morbum incidit, cujus initium fuit catharrus vehementiſſimus. Ejus rei teſtes mihi ſunt, Decanus & reliqui Profeſſores Collegii Philoſophici. Cum enim jam dicta die, horâ 12. conveniſſemus ad audiendas rationes Oeconomi contubernii, (cujus inſpectio nobis eſt demandata) quas ille Noſter exactiſſimas reddi voluit, ut tenuioris fortunæ

Morbus lethalis.

ſtudio-

ſtudioſis conſuleretur, ne propter rerum omnium & temporum difficultatem, ſtudia cœpta deſerere cogerentur; ad mediocritatem redegit, & tolerabilem victus rationem inſtituit. Ibi tum morbo affectum vidimus. Catarrhus enim vehementiſſimus illi defluxit toto iſto tempore, quo unà fuimus, ultra quatuor horas, magna copia, conjuncta tuſſi, quæ utraque illi erant moleſtiſſima. Attamen nullâ habitâ valetudinis ratione, cum ſæpius à nobis moneretur, ſibi ut parceret, domumq; reverſus valetudinem curaret, eique daret operam: ab inſtituto dimoveri ſe non eſt paſſus, ſed ab hora duodecima, uſq; ad noctem nobiſcum manſit, donec rationes iſtæ abſolutæ eſſent. Cumq; ex illo conventu domum eſſemus reverſi, monebam, ut ſtatim ſe domum in hypocauſtum conferret. Quod & factum eſt.

Et ecce non longo temporis intervallo, horam circiter nonam noctis, me per filium D. Philippi Grauueri, ad ſe vocat, quod malè habeat, & decumbat. Quem ſtatim ego, nulla interpoſita mo-

ra, arrepta tunica, præeuntem ſequor, inque lecto decumbentem in hypocauſto reperio, malè affectum, quod punctiones ſentiret in dextero latere: & unà cum ipſo D. Grauuerum medicinam adhibentem. Quamprimùm veni, condolens ſalutavi. Ipſe verò, ut fuit vir civilis, culpam deprecatur, quod importuno tempore & nocte intempeſta meã interturbet quietem nocturnam. Deinceps cauſam propter quam me vocaverit, exponens, hanc eſſe ait: Quod cum neſciat, quid ratione valetudinis de ſe futurum, & facturus ſit Deus Opt. Max. nec ignoret, varia Adverſarios ſuos, de ſe, fide & morte ſuâ poſt obitum ſparſuros: ut de ſuâ fide, doctrinâ atque Confeſſione coram me teſtaretur, ejuſque rei teſtimonium ſibi perhiberem defuncto.

Eadem autem fuit cum eâ, de quâ mox dicetur, quàm coram vocatis teſtibus publicè fecit. Paulò poſt, tum advenerunt vocati, & Paſtor Eccleſiæ noſtræ D. Siguuartus, coram quo eadem repetiit, & Daniel Mögling, Medicinæ

D. ac

D. ac Profeſſor, qui cum altero pri- nominato Doctore, de morbo, & convenientibus remediis adhibendis, contulit. Quibus poſtea etiam adjunctus toto morbi tempore fuit, Clariſſimus vir D. Georgius Hambergerus Medicinæ D. & Profeſſor in hac ſchola. Ego ad undecimam usque cum eo permanſi, quâ me domum rediri voluit.

Aegrotavit autem dolore lateris dextri circa coſtas ſpurias inferiores, graviſſimas, quoties tuſſiret, tum etiam ſtatim, punctiones ſentiens, pleuritidem vulgo à læsâ particulâ nominant. Ubi non tantùm membrana ſuccingens coſtas, exterior & interior, verum etiam muſculi interni vicini affecti fuerunt. Unde maximam copiam pituitoſæ, lentæ, & viſcidæ materiæ, toto ferè morbi decurſu, per tuſſim & expuitionem, ad admirationem uſque (quod frequenter vidi, cum quotidie ferè accederem) rejecit. Quæ res, unà cum eo, quod παραφρόνησις nunquam acceſſit, (quæ tamen aliâs ut plurimum huic affectui ſuccedere ſolet) ſpem Medicis (inter quos

etiam ut dictum eſt fuit D. D. Georgius Hambergerus, Profeſſor Medicinæ hîc) in magno metu conſtitutis, dedit bonam, fore, ut ſalus ægroto contingeret. At cùm vires indies infringerentur & langueſcerent, ut tandem viſcidam illam, & inſtar glutinis tenaciſſimam materiam rejicere amplius, variis etiam adminiſtratis incidentibus & apparentibus pharmacis, non valeret, tandem natura victa morbo ceſſit, cum decubuiſſet ægrotus viginti unum dies. Toto autem morbi tempore, miram præſtitit inter cruciatus & punctiones, fidem, conſtantiam, pietatem, patientiam.

Cum igitur finem vitæ ſibi appropinquare ſentiret, paulatim deficientibus viribus, die feſto Epiphaniorum, pridie ſui obitus, à Concione matutinâ ad ſe vocavit Magnificum Dominum Rectorem, Decanos tres (eramus enim D Stephanus Gerlachius, & Ego pridiè evocati ad Conſiliarios Conſiſtorii Eccleſiaſtici, Bebenhuſium) D. Brentium, D. Parochum, & duos Diaconos, præſentibus etiam tribus filiis, & Genero, D. An-

D. Antonio ZchWeickardto, hiſce verbis compellavit: Magnifice Domine Rector, Clariſſimi & ornatiſſimi viri, fratres in Chriſto chariſſimi: meminiſtis quam coram vobis ante triennium circiter, cum etiam graviter ægrotarem Confeſſionem fidei & doctrinæ meæ ediderim, vosque & alios tum præſentes Dominos rogaverim, ut ejus mortisq; meæ teſtes mihi eſſetis: ſiquidem Adverſarii mei ſpargere poſſent, neſcio quo horribili mortis genere extinctus ſim, cum non Eccleſiæ ipſorum membrum fuerim, ſed eam graviſſimè impugnaverim. *Confeſſio & proteſtatio ultima.*

Ad iſtam Confeſſionem etiamnum me refero. Et ſentio, & judico hanc Doctrinam, quam in Schola & Eccleſia ac ſcriptis editis defendi, veram & divinitus eſſe traditam, quam etiam coram tribunali Chriſti, infracto animo, ex verbo ipſius defendam. In cujus rei fidem & confirmationem jam etiam in conſpectu veſtrum omnium, ſacroſanctam Domini cœnam percipiam.

Commendo Rectori Magnifico, & Sena-

Senatui ampliſſimo, fideliſſimã meam uxorem, & liberos morigeros, ut ubi illis veſtra opus fuerit opera, veſtro conſilio & auxilio adſitis.

Et quia etiam homo ſum, & humanis infirmitatibus quoque obnoxius, unde fieri potuit, ut vel univerſum Senatum Academicum, vel unum & alterum ex iſto ordine, vel etiam alios verbis aut factis, offenderim: peto mihi ignoſci.

Maximè autem mihi curæ fuit ſincera Religio, boni mores & diſciplina, quam etiam porrò curabilis ſeveriſſimè. Permagnum enim eſt, ſi Juvenis, qui huc ſtudiorum causâ mittitur, diſciplinæ neglectu corrumpatur.

Ultimò, Te D. D. Varnbülerum, compatrem meum rogatum volo, ut ſi non convaluero ex hoc morbo, meo nomine, Illuſtriſſimo Principi meo valedicas, ejusque Celſitudinem rogare me, ut ſignifices, ſicut hactenus, ita porrò etiam uxoris meæ fideliſſimæ, & liberorum morigerorum, clemens & propitius Dominus eſſe velit. Poſtea publi-

cam

cam peccatorum ſuorum fecit Paſtori Confeſſionem, & abſolutionem petiit accepit. Quibus ita ritè confectis, cœnam Domini ex manu Paſtoris noſtri percepit. Poſtea Deo Patri cœleſti ex animo gratias egit, pro donato filio, & verbi divini patefactione, pro vera fide data, & reliqua in hanc ſententiam.

Quibus peractis, Rector univerſitatis de ſua & Senatus voluntate teſtatus, ſimiliter & D. D. Varnbülerus, ſe fideliter hæc ad Illuſtriſſimum Principem relaturum, recepit. Adhæc ſinguli Domini, manu data, ultimum vale dixerunt, & non absque lachrymis diſceſſum eſt.

Eadem die, à meridie, quia in vicinia erant Bebenhuſii (ut obiter jam antea dictum eſt) Reverendi & Clariſſimi viri, Dominus Johannes Magerus Præpoſitus Stuttgardianus, conſocer D. D. Jacobi, nec non & Affinis, D. D. Lucas Oſiander, Eccleſiaſtes aulæ Wirtembergicæ, cum ex me pridie veſperi intellexiſſent, graviter eum & lethaliter decumbere (talem enim eum reliqueram egrediens) huc ſe officii cauſa contulerunt,

runt, cum eoq; ad horas aliquot poſtremùm familiariter converſati ſunt, quibus etiam tranquillo animo ſignificavit, ſe totum ad felicem migrationem ex hâc vitâ paratum eſſe.

Sequentem noctem partim in ſella ſedendo, partim in lecto jacendo, dormitabundus conſumpſit. Adfuerunt autem illi filii per vices, donec matutinum appropinquaret tempus, & vires paulatim deficerent. Ibi tum horam circa quintam, & D. Paſtor, & Medici vocati ſunt, qui in ſellâ ſedentem invenerunt dormiturientem. Ibi tum D. Möglingus de valetudine quærens, & quomodo haberet? Reſpondit Germanica lingua: Von Gott vngeſcheiden. Cum autem hora ſexta audiretur, quæſivit, quota hora eſſet? cumque reſponderetur, Sexta: mox, inquit, hora mea appropinquabit. Media ſeptima, ipſemet de ſella ſurrexit, & in hypocauſto ſemel atque iterum obambulavit. Tum Medici duo, quod non putarent horam mortis tam propinquam eſſe, ab eo diſceſſerunt, hâc ſignificatione additâ, ſe

12. re-

12. reverſuros, interea autem in officina medicamenta quædam paraturos. Circa ſeptimam denuò ſe in lectum contulit, & ad Paſtorem propè in ſcamno aſſidentem converſus dixit: Mein lieber Pfarrherr / es muß geſcheiden ſein / da wird nichts anders auß / cui Paſtor: Artem, mi Domine, alios per 44 annos docuiſti, quomodo videlicet piè ſit moriendum, jam tempus adeſt, ut ipſe eam exerceas. Reſpondit D. Jacobus: Neceſſe eſt, ut alium quempiam nobis adjungamus, qui ſit nobiſcum. Chriſtum, reſpondit Paſtor, habemus, qui pugnat nobiſcum & pro nobis, ut victoriam reportemus. Ad quod ille: ad Romanos ſcriptum eſt: In his omnibus ſuperamus, propter eum qui dilexit nos. In quam ſententiam plura hinc inde dicta ſunt ex ſcriptura ſacra conſolationis pleniſſima, ad quæ ille ſemper appoſitiſſimè reſpondit, ſemper de ſuæ fidei in Chriſtum conſtantia locutus & teſtificatus, quod Domino vivere velit & mori.

Ad hæc inter venit Nobilis & pia

Matro-

Matrona & vidua, Domina Agnes Megetzerin vicina, quam cum vidiſſet, pileum nocturnum de capite ſuo detraxit, manuque porrectâ, gratias cum pro hoc, tum etiam aliis beneficiis, morbi tempore præſtitis, egit: addita fauſta precatione, ut Deus Opt. Max. omnium beneficiorum retributor, ea, & in hac, & futura vita, compenſaret.

Semel etiam tum adhuc, colloqui ſe cupere cum D. D. Oſiandro, ſignificavit: quod cum ſui intellexiſſent, ſtatim, nullâ interpoſitâ morâ, famulum ipſius equo vectum egredi Bebenhuſium jubent, qui celeriter adfuit. Conſcenſis itaque equis D. D. Oſiander, & D. Præpoſitus Stuttgardianus, quantocyus potuerunt, hucadvolaverunt, ſed priuſquam hi advenirent, jam expiraverat.

Antequam autem hoc fieret, interea à Paſtore interrogatus, num adhuc in eâ doctrinâ, quam Eccleſiæ per annos 44. propoſuerit, conſtanter perſeverare velit: Reſpondit omnibus, qui tum in hypocauſto aderant, audientibus: Ita, in hac confeſſione moriar, verba etiam

hæc

Digitized by Google

hæc præeuntem Paſtorem: In manus tuas, Domine, commendo ſpiritum meum ſecutus eſt.

Cum autem poſtremò vires omnes deficere viderentur, filius M. Johannes, cujus ſupra quoque facta eſt mentio, parenti proximus aſſiſtens, ſententiam Apoſtoli: Bonum certamen certavi &c. de cætero repoſita eſt mihi corona Juſtitiæ &c. inclamare ei cœpit in aurem, patrem interrogans; num ſibi quoque hanc Juſtitiæ coronam repoſitam crederet? Apertis oculis intuitus eum, annuit, & longè petito & attracto ſpiritu, reſpondit: Ita, Quæ poſtrema ejus fuit vox poſtea enim nihil prolocutus, ſed intra ſe precatus eſt, & ſic in precibus & *εὐφημίᾳ* placidè, nullo incompoſito geſtu, vel motu, multò minus membrorum diſtractione, dormienti ſimilis, beatam animam expirando, Deo reddidit, & in fide Chriſti, unici Salvatoris & Redemptoris, revera obdormivit Theologus ſummus, Januarii. 7. inter octavam & nonam matutinam, cum vixiſſet annos 61. Menſes 9. dies 13. horas 6. Quæ hoc

Digitized by Google

hoc modo, & non aliter facta eſſe & geſta noverunt omnes, quotquot adfuerunt. Adfuerunt autem complures, cum nemo acceſſu prohiberetur.

Funus elatum eſt humeris vicinorum Paſtorum octo, qui poſtremum hoc pietatis officium, Præceptori optimè de ſe & aliis merito, præſtiterunt, portantes ad templum Eccleſiæ collegiatæ, ubi ſepultus eſt 9. Januarii, in quo per annos 34. primùm Diaconus, poſtea Præpoſitus magna cum laude fidei ſuæ commiſſum gregem pabulo verbi Dei incorrupto pavit.

Sepultura. In pompa Funebri, Illuſtriſſimi noſtri Principis loco, Legatus, Vir generis nobilitate, virtutibus, ſapientiâ & pietate præſtans, Gedeon ab Oſtheim, Præfectus urbis hujus ſuperior, primus & immediatè feretrum eſt ſecutus, dehinc longo ordine filii, & Generi, & propinqui. Hos Rector Magnificus, Barones, quotquot ſtudiorum causâ hîc verſantur, dehinc Profeſſores omnes, Nobiles complures, domeſtici, & extranei, qui honoris causâ huc advenerunt. Hinc præ-

præfectus inferior, Conſules & Senatores oppidani omnes, civium turma ingens, vidua defuncti, filiæ & nurus, Matronæ Nobiles, & aliæ quamplures, Profeſſorum uxores, & filiæ, virgines, & ut uno verbo dicam (quod vidiſtis) univerſa propemodum civitas, magno & communi luctu ſuum Præpoſitum non ſolùm defunctum ſequebantur, ſed etiam multis gemitibus, ſuſpiriis & lachrymis proſequebantur, ſpectaculum triſte, omnes & ſinguli Præpoſitum ſuum ſibi ereptum querebantur. Hunc princeps noſter clementiſſimus, in vitâ hâc, ſi ita Deo viſum fuiſſet, Doctore ſuo Medico Oſvvaldo Gabelchovero miſſo, retinere cupiebat, jam amiſſum dolet. Atque ita ingens & triſte reliquit ſui deſiderium.

Ut autem nos hâc vitâ functum dolemus, quod tali tantoque orbati ſimus viro, & quidem hoc tempore, quo maximè illius nobis opus erat opera, præſentia & præſidiò, inter tot Eccleſiæ dilacerationes, dogmatumque confuſiones: Ita Adverſarii ipſius & noſtri in ſinu gau-

Digitized by Google

nu gaudent, imò ſeriò triumphant, communi quaſi ſublato hoſte. Quod ipſum Salvator noſter dulciſſimus, ſuis quoque prædixit Diſcipulis, de immani Phariſæorũ odio contra ipſos. Et quemadmodum nos dona Dei excellentia, quæ in hoc organum ſalutare contulit, admiramur, ejusque clementiæ & bonitati, pro iſtis agimus gratias: Ita Adverſarii ejus, non ſolùm Pontificii, ſed etiam Calviniſtæ, aperti & clandeſtini, memoriam ejus maledicent, omnis generis convitia & mendacia in defuncti perſonam jacientes, in mortuum Leonem ſævientes, doctrinamque ejus hæreſeos damnaturi.

Dicitur aliàs: livor poſt fata quieſcit. Sed hypocritarum & Phariſæorum tantus eſt furor, tanta rabies & crudelitas, ut odio exſaturari nequeant. Ideo etiam in mortuos ſæviunt, ſicut Pontifices Judæorum, Chriſto Domino in ſepulchro maledicunt, Impoſtorem vocantes, ejusque reſurrectionem metuentes, eamque impedire conantes.

Audio jam à quibusdam Sacrificulis in vici-

in vicinia, publicè ex ſuggeſtu, ad vulgus ſpargi mendacium Diabolicum, Noſtrum D. Jacobum ante vitæ ſuæ finem, univerſam ſuam doctrinam, quam per omnem ſuam vitam profeſſus eſt, revocaſſe, erroriſque damnâſſe. Quid alibi futurum putamus, in locis & regionibus remotioribus?

Præterita ſeptimana loco non obſcuro, in frequentia gravium & Nobiliũ virorum à Pontificiis ſcripta eſt Epiſtola & lecta, qua magna aſſeveratione contendere non dubitarunt, Noſtrum ante vitæ finem anxiè, petiiſſe à ſuis ut Jeſuitam ad vocarent, qui ſacra ſibi adminiſtret. Quod cum detrectarent illi, in deſperationem incidiſſe, inque hâc finiviſſe vitam. Hæc non tantum fabulæ ſunt, quibus iſti ſe ſuoſque oblectant, ſed putidiſſima, turpiſſima, horrenda & deteſtanda ſunt mendacia & pluſquam Diabolica, quibus ſe paſcunt homines leviſſimi.

Quis autem adeò demens eſt & ſtupidus, ut non intelligat, calumnias eſſe non ab hominibus confictas, ſed à Dia-

bolis infernalibus, mendaciorum patribus natas, & ex infimo inferno allatas, perque ſua flabella ſpargi?

Te, appello, Rector Magnifice, vos Decanos, & reliqua Academiæ noſtræ lumina, quicunque eum in morbo hoc viſitaſtis, ſicut omnes vos & ſingulos Profeſſores officii cauſa eum acceſſiſſe arbitror: Vos, inquam appello, annon hæc eadem, quæ ſuprà commemoravi, ex ore ipſius audiveritis, cum non integrum amplius diem viveret? Sed quid Apoſtropha hac opus eſt? cum jam hac de re publicè ſitis conteſtati. Sicut totus iſte Actus, à vobis deſcriptus, in lucem editus eſt, & funebri Concioni annexus. Annon præſagiens diabolicam calumniam, vivus adhuc de induſtria, magnoque ſtudio & diligentia præcavere, quantum omninò potuit, voluit? Unde quantum fidei in aliis quoq; calumniatores iſti mereantur, quivis qui non volens vult decipi, facilè intelligit.

Dictum, & me etiam tacente, notum eſt, cujusmodi amiſerimus virum, cujus parem, tot, tantisque nominibus antecellen-

cellentem, donisque à Deo plurimis & maximis præſtantem, ingenio, memoria, doctrina varia, facundia, judicio, animi magnitudine, uſu & experientiâ rerum varia non reperiemus (rara hæc Dei dona ſunt) Qui cum principibus noſtræ Religionis propemodum omnibus eſt converſatus, qui in rebus & negotiis graviſſimis Eccleſiaſticis exercitatiſſimus, qui tot Legationes obivit, itinera & peregrinationes tàm longinquas fecit, qui tot ſcripta utilia in lucem dedit, tot controverſias Religionis feliciter compoſuit, Eccleſias à fanaticis perturbatas inſtauravit, qui Formulam Concordiæ, omnium temporum memoriâ digniſſimam, in quâ noſtræ ætatis controverſiæ tàm dextrè ſunt dijudicatæ, ne omni vento doctrinæ Imperiti circumferantur dubii, magnâ ex parte conſcripſit, confecit, cui ſecundum hoc ſeculum noſtrum non habet, nulla ferent parem ſecla futura virum. Hunc talem, inquam, amiſimus virum.

Magno itaque ornamento, imò præſidio, Reſpub. hæc noſtra ſcholaſtica, &

Eccleſia Chriſti, ejus obitu privata & orbata eſt. Ideò meritò mo[illegible] ejus deploramus: non quod malè [illegible] ipſo actum putemus: Beati enim mortui, qui in Domino moriuntur à modò, quia requieſcunt à laboribus ſuis, opera enim eorum ſequuntur eos: ſed propter noſtram orbitatem, quod gubernatore iſto ſtudiorum & Nauclero, navis noſtra privata ſit & deſtituta Hunc deſiderat, hunc luget, & amiſſum Schola hæc, Concio præſens, Templum, civitas Anteſignanum, hi ipſi parietes, inter quos vox ipſius in publicis Conventibus de rebus graviſſimis & utiliſſimis diſſerens, audita eſt, lugent. Qui ſalutaria multe fecit, dixit, docuit, propoſuit, viá ad æternam ſalutem planam, ex ſcripturæ ſacræ medullis extrahens, in lucem produxit, & fideliſſimè tradidit. Qui miſeros & perturbatos conſolatus eſt, & dulciſſimis promiſſionibus divinis erexit, ad cor loquens. Qui vitia & morum diſſolutionem abominatus eſt, voceque legis divinæ ſeveriſſimè corripuit. Qui ad vitæ emendationem, ad

pœ-

pœnitentiam ſeriam ac ſalutarem, magno pietatis Zelo Auditores eſt cohortatus, ut pater liberos. Qui ora contradicentium verbo Dei obturavit.

Pro hoc ſalutari organo, Deo ingentes agamus gratias, quod uſum ipſius nobis tot annos conceſſit, toto pectore Patrem Liberatoris noſtri Jeſu Chriſti orantes, ne facem verbi ſui, hâc poſtremâ mundi ſenectâ miniſterio Lutheri accenſam, & per Cancellarium noſtrum piæ memoriæ, fideliter conſervatam, & propagatam, propter multorum ingratitudinem, & perſecutionem extingui ſinat, ſed per Spiritum ſuum Sanctum propitius foveat, juxta dulciſſimam promiſſionem: Hoc fœdus meum cum eis, dicit Dominus: Spiritus meus qui eſt in te, & verba mea, quæ poſui in ore tuo: non recedent ab ore tuo, neque ab ore ſeminis tui, usq; in æternum.

Et licet parem optare magis, quàm ſperare poſſimus: tamen ſicut ſublato Elia, Eliſæum conceſſit & ſubſtituit: ita ardentibus votis à Deo Opt. Max. petamus, ut propitius excitet & præfi-

ciat virum alterum, cujus opera ſalotaris ſit Scholæ & Eccleſiæ noſtræ. Poteſt enim & per infirma interdum organa, multa facere ſalutaria. Sicut Apoſtolus teſtatur inquiens: ad hæc autem quis idoneus aut ſufficiens? Et reſpondet: *ἱκανότης*, idoneitas vel ſufficientia noſtra ex Deo eſt, qui facit, ut labor noſter non ſit irritus in Domino. Huic ſoli Vero Deo & Domino, Patri æterno: Deo & Domino filio ejus coæterno: & Domino Deo Spiritui Sancto, procedenti ab utroque ab æterno, trino & uni, honor ſit laus & gloria in omné æternitatem,

Amen.

De

De Beato Obitu, Reverendi & Clariſſimi viri:

D. JACOBI ANDREÆ SS. Theologiæ D. & Profeſſoris celeberrimi &c.

PROGRAMMA

Rectoris Univerſitatis Scholaſticæ ſtudii Tubingenſis.

ANDREÆ PLANERI ATHESINI, Medicinæ Doctoris.

CUm Sanctus ille Dei vir & Propheta ſublimis, Elias, rebus eximeretur humanis, & ignito curru per turbinem ad cœlos aſcenderet, ejus ſucceſſor & diſcipulus Eliſæus, in hæc prorupiſſe verba, quarto Regum cap. 2. ſcribitur: PATER MI, PATER MI, CURRUS JSRAEL ET EQUITES EIUS. Quibus verbis non modò pium ſuum affectum, & ingens ipſius, quod reliquerat, deſiderium, exprimere, ſed etiam muneris atq; officii, quod in terra geſſerat Elias,

 digni-

dignitatem & amplitudinem deſcribere nobis voluit. Bis repetitâ voce, eum appellat, PATER MI, PATER MI, quoniam paterno amore à teneris annis eum complexus fuit, ad veram Dei agnitionem perduxit, in cœleſti doctrina, ut complures alios, fideliſſimè inſtituit, imò præ cæteris ipſum dilexit, & ſemper ſecum, ut ſpectatorem & teſtem complurium miraculorum, quæ confirmandæ veræ Religionis causâ paſſim edidit, habuit. Et quo nihil paternæ benevolentiæ deſiderari poſſit, ita probè Eliſæum de vero Dei cultu inſtituit, ut etiam ſucceſſorem eum reliquerit, & ſpiritum ſuum, quem duplicem expetiit ſibi dari, communicârit, quo & ipſe poſt diſceſſum Eliæ populum Jſraël in verâ Religione erudire & inſtituere rectè valeat, quas multas ob cauſas, meritò optimoque jure, patrem ſuum, Heliam vocavit, ipſe Propheta Eliſæus. Officii autem, quo in regno Jſraëlitico functus fuerat Elias, neceſſitatem & eminentiam perſtrinxit, dum ſubjicit, CURRUS JSRAEL ET EQUITES EJUS.

Ut enim in re militari currus præſidio & munimento eſſe ſolent, quo minus hoſtes in exercitum irruere, impetusq; facere poſſunt; ita quoque S. Propheta Elias, toto ſuo tempore, precationibus Iſraelitas, adverſus omnium hoſtium inſultus, tutos præſtitit. Et ut equitatu hoſtiles copiæ disjiciuntur: Ita quoque Propheta Elias Baaliticos cultus, qui in toto regno Iſraelitico invaluerant, doctrinâ ſuâ deſtruxit & evertit. Quod Eliæ in cœlum rapto, quaſi extremum Vale dicturus acclamavit S. Eliſæus, hoc etiam Eccleſiæ & Scholæ noſtræ, Reverendo & Clariſſimo Viro D. JACOBO ANDREÆ, S. S. Theologiæ Doctori & Profeſſori longè celeberrimo, Academiæ Cancellario, & Eccleſiæ Præpoſito vigilantiſſimo nudius tertius placidè & piè in Chriſto defuncto, lugubri voce, *Pater mi, Pater mi, currus & equites* noſtri, acclamare poſſunt. Etenim & hic ceu alter Elias annos quadraginta quatuor Chriſti populum planè paterno affectu & ſollicitudine complexus, in pura & ſincera doctrina Evangelii fideliſ-

ſimè inſtituit, nec viva tantùm voce, conſolando, docendo, monendo, hortando, magno animi zelo & ardore erudiit: verùm ſcriptis utiliſſimis, in totum Chriſtianum orbem ſparſis, veram de Deo doctrinam, non minus quam Divus Lutherus ante annos quinquaginta & circiter plantavit, propagavit, & contraria hæreticorum impia ac blaſphema dogmata, de graviſſimis fidei noſtræ articulis, ne oves Chriſti ab iis ſeducantur, acerrimo & heroico planè ſpiritu confutavit, & cauſas impietatis eorum ita oculis hominum ſubjecit, ut quisq; talium hæreſeon patronos utcunque pella ovina indutos dignoſcere, nec pro bonis Paſtoribus & ſinceris Eccleſiarum Doctoribus, ſed mercenariis, imò lupis rapacibus habere poſſit, quemadmodum prior quoq; Elias Sacerdotum Baal fraudes & impoſturas graviter detexit & aperuit. Porrò hanc ſuam imò Chriſti ipſius doctrinam, non in patria ſolùm, ſed etiam apud alios, ſæpè etiam infenſiſſimos hoſtes intrepidè eſt profeſſus, ſemper in animo & ore habens illud

illud Salvatoris noſtri Chriſti: Qui me confeſſus fuerit coram hominibus, eum etiam ego coram patre meo confitebor.

Nam vix dum adoleſcens propter ſingularem ingenii dexteritatem, φιλοπονίαν & alias eximias dotes Stuttgardianæ Eccleſiæ Diaconus factus, cum mox in agrum Würtembergicum, copiæ Hiſpanorum paſſim, & etiam in civitate Stuttgardiana vagarentur, etiam præſentibus Hiſpanis liberas conciones habuit, cum humanioribus & doctioribus eorum, de capitibus fidei noſtræ diſſeruit, & errores Pontificios egregiè taxavit & reprehendit. Mox cum Miniſtri ab Eccleſiis, propter τὸ μεταξὺ Interim Latini nominant, propoſitum, remoti eſſent, ipſe Tubingam ſe contulit, & ſilentibus omnibus, conciones non ſine periculo habere cœpit, quo tempore etiam ſummo viro D. Brentio piæ memoriæ innotuit, qui poſtea ſemper ipſum filii loco dilexit, germanicos quoque Pſalmos ac hymnos decantari à populo iterum in Eccleſiis contra multorum Pontificiæ Religionis voluntatem

& conatus inſtituit. Mutatis poſtea temporibus, Göppingenſi Eccleſiæ aliquot annos laudabiliter præfuit.

Hinc ob præclaram & excellentem rerum ſacrarum cognitionem multarumque rerum experientiam, ab Illuſtriſſimo & ſapientiſſimo Principe, Divo Chriſtophoro, Duce Würtembergico, Scholæ noſtræ Cancellarius & Eccleſiæ Præpoſitus datus eſt. Quo munere ſummâ fide, diligentiâ, & magno fervore animi, multos annos egregiè functus eſt, docendo, diſputando, declamando, conſulendo, errata juventutis corrigendo, nullum boni præceptoris, aut potius pii patris prætermittendo officium, exiſtimans ſemper non minus ad ſe pertinere curam diſciplinæ ſcholaſticæ, quàm ut aliâs bonis artibus & ſcientiis rectè informentur adoleſcentes, proſpicere: cum qui in moribus deficiat & in literis proficiat, plus deficiat quàm proficiat.

Taceo hîc multas neceſſarias profectiones à Principius illi injunctas, ut Gallicanam, Danicam, ad Divum Maximi-

ximilianum ſecundum, Imperatorem Romanum, ad pleroſq; principes Germaniæ, ad multas ſynodos, ac colloquia in Imperio inſtituta, ad multas civitates dirimendarum multarum graviſſimarum in Religione controverſiarum causâ. In quibus omnibus ſingulare ipſius ingenii lumen, eloquentia, & in componendis ejusmodi cauſis mira dexteritas ita eluxit, ut in maximo pretio ac honore à ſummis habitus ſemper fuerit, quod omnes norunt ac prædicât, qui cum eo Legationes obierunt, aut conſiliis Eccleſiaſticis ipſius interfuerunt aliquando.

Hoc ergò præclariſſimo & Incomparabili Theologo, veræ Religionis Antiſtite & Propugnatore acerrimo, patre, curru & equitatu, cum orbata nunc ſit Eccleſia & ſchola noſtra, juſtiſſimâ certè de causâ in magno luctu & mœrore omnes ſumus, non quod ipſi aliquid mali acciderit, ut qui ſibi quidem maturè, nobis autem, Eccleſiæ & Scholæ noſtræ importuniſſimo tempore ex hac miſera & ærumnoſa vita in cœleſtem

ſtem patriam raptus, non minus triſte ſui, atque Elias ipſi Eliſæo reliquit deſiderium.

Ita vero placidè mortuus eſt, ut non mori, ſed obdormiſcere, omnibus aſtantibus, ne minimo quidem apparente corporis motu videretur: cum pridie ejus diei ſentiens ſibi inſtare extremam horam vocaſſet ad ſe Rectorem, Decanos & aliquot amicos, & Miniſterii Eccleſiaſtici Collegas omnes clarâ & diſertâ voce, conſtanti animo piam & luculentam fidei ſuę edidiſſet confeſſionem, quam quadraginta quatuor totos annos publicè & privatim in ſcholis & Eccleſiis profeſſus fuerat: de qua dixit ſe nequaquam dubitare, ſed præſente animo velle coram tribunali Chriſti Jeſu & confiteri & defendere, eam ultimò acceptâ Cœnâ Dominicâ ex manibus paſtoris Eccleſiæ noſtræ confirmavit, cujus actus totius nos omnes, qui interfuimus ipſi, ad poſteritatem, contra invidorum & calumniatorum maledicta & convitia, teſtimonium perhibere non dubitamus.

Et

Et quia hodiè hora tertia, ad ſignum campanæ viro illi laudatiſſ. de Scholis & Eccleſiis optimè merito funus fiet, ad illud honorificentiſſimè deducendum, omnes noſtræ Juriſdictioni ſubjectos, cujuscunque ordinis & dignitatis ſint, ſeriò hortamur. Perſcriptum Tubingæ Anno M. D. XC. Nono Januarii.

ORA-

Digitized by Google

ORATIO FUNEBRIS DE VIRTVTIBVS VIRI INCOMPARABILIS, D. JACOBI ANDREÆ, SACRÆ THEOLOGIÆ DOCTORIS præſtantiſſimi, Scholæ & Eccleſiæ Tubingenſis Cancellarij & Præpoſiti digniſſimi; Præceptoris, Compatris, & Collegæ ſui chariſſimi:

Habita in Cœnobio Hirſaugienſi

ab

ANTONIO VARENBÜLERO D. Abbate ibidem.

Pſalm. 118.

Non moriar, ſed vivam, & narrabo opera Domini.

Anno M. DC. XXX.

Digitized by Google

ORATIO
DE
VIRTUTIBUS
D. JACOBI ANDREÆ.

CUM, adoleſcentes optimi, hiſce diebus Deus Opt. Max. Reverendum Virum, Dominum Jacobum Andreæ, Sacræ Theologiæ D. præſtantiſſimum, Scholæ Tubingenſis Cancellarium & Eccleſiæ Præpoſitum digniſſimum fideliſſimumque, virum incomparabilem, ex hâc vitâ miſerâ & ærumnosâ in cœleſtem patriam evocaverit: viſum eſt nunc, hic viro clariſſimo, & de Eccleſiâ Chriſti optimè merito, parentare; cum aliud officium magis pium iam ipſi præſtare non queamus.

Æquum enim eſſe cenſeo, ut, cum tali tantoq; viro orbati ſimus, luctum noſtrum teſtemur. Etenim ſi Ægyptus flevit Jacobum, ſi Iſraëlitæ Moſen, ſi

Eliſæus

Eliſæus Eliam, præſtantiſſimos illos Dei viros, per quos Deus mortalium generi ſumma contulit beneficia: cur nos non pari pietatis affectu, deflere-mus ejus viri obitum, per quem Deus hoc extremo ſeculo non contemnenda merita in Eccleſiam ſuam contulit? Si filios decet lugere obitum ſuorum parentum: Si, cùm amicus triſtatur, quod amico ſuaviſſimo conjunctiſſimoque eſt orbatus, non modò non reprehendimus, ſed etiam in laude ponimus: quis tàm alienus, non dico à pietate, ſed ab omni humanitate eſt, qui non exiſtimet rectè à nobis fieri, quòd hoc tempore & nos lugeamus? cùm Patre & Præceptore fideliſſimo, amico atque collega longè jucundiſſimo & ſinceriſſimo in hâc vita ſimus orbati: cujus eximia in Eccleſiam merita, virtutes illuſtres, præclara vita non patiuntur, ut eius memoriam tàm facilè deponamus. Itaq; etiamſi corpus eius ſepultum ſit, non tamen committemus, ut unà virtutes ejus præclaræ ſepultæ videantur.

Non

Non ſum autem neſcius, quod ex Profeſſoribus Scholæ Tubingenſis celeberrimis viris, aliquis præſtans orator, oratione luculentâ, copioſè ornateque hiſce de rebus dicturus ſit: hoc enim defuncti vita præclara acta meretur: tamen propter huius viri in me merita, cuius ego auditor fui, diſcipulus, collega, compater; qui eum per annos viginti ſeptem integros rectè novi, & multò melius, quàm multi malevoli: is etiam filii loco me ſemper habuit, volui & hoc loco in eius obitum orationem habere funebrem. Et quamvis à me non fiet eo ornatu, nec tantâ copiâ, quâ & hic vir præſtans dignus eſt, & ab alio fiet: tamen tantò libentius id faciam, quantò magis is vir me amavit, & ut omnibus conſtet me hunc virum optimè meritum viciſſim dilexiſſe, & dilecturum ſemper.

Neque verò jam totam eius vitam pertexam: id enim & nimis longum eſſet, & fiet, ut dixi, ab alio longè felicius: ſed quaſdam duntaxat ejus virtutes percenſebo: ut cognoſcatis, quá-

tus

tus is, quo ſumus orbati, vir fuerit; & ut virtutes ejus, vos, qui futuri aliquãdo eſtis miniſtri Eccleſiæ, pro virili imitari conemini. Quâ de re dum dico, veſtram deſidero attentionem.

I. Pietas. A quâ verò virtute potius incipiam, quàm ab eâ quæ inter omnes laudes principem locum habet, & habere debet, PIETATE nimirum? Eſt enim vetus Præceptum Nazianzeni, & optimum præceptum, ἀρχὴν ἁπάντων καὶ τέλος ποίει θεὸν, quo præcepto præclarus Eccleſiæ Doctor docere voluit, in omnibus actionibus pietatem nos colere debere, quam Scriptura Timorem Domini appellat.

Nazian. ἐν μονοστίχ.

Et eſt talis virtus, quæ omnem divinum cultum, omnes propè virtutes ſuo complexu continet, ex quâ tanquã perenni fonte, quicquid laudabile eſt, promanat. Hæc eſt, ut Chryſoſtomus ait, rectiſſima vitæ norma, & converſationis optimæ diſciplina. Hâc virtute noſter defunctus claruit, per omnẽ vitam. Etenim in primâ ſtatim pueritiâ ſtudio flagrantiſſimo veræ Religionis

Chryſoſt. ſuper 1. Timoth. 4. Homil.

nis ita dedit operam, ut non ſolum articulos fidei ex verbo Dei probè teneret, ſed etiam ut Miniſterio Eccleſiaſtico Adoleſcens octodecim annorũ, non ſolùm dignus eſſet, ſed utiliter præficeretur. Eam pietatem quam ex verbo Dei à teneris hauſit, ſectatus eſt poſtea in omni vitâ: oſtendit in omnibus officii ſüi partibus: quod ex iis, quæ mox dicentur, patebit.

Hæc eſt illa virtus, quam Divus Paulus in Miniſtro, quem inſtruere vult, requirit: cum ad Timotheum ſcribit: exerce temetipſum ad pietatem. Nam corporalis exercitatio paululum habet utilitatis; at pietas ad omnia utilis eſt, ut quæ promiſſiones habeat vitæ præſentis & futuræ. *1. Tim. 4. 7.*

Hanc pietatem aluit noſter, indefatigabili lectione & meditatione Scripturæ Sacræ: in quâ innutritus eſt, hoc eſt, ut cum Chryſoſtomo loquar, divina eloquia perpetuò ruminavit, & infatigabiliter animo verſavit, eaque intentiſſimè quotidiè meditatus eſt. Hãc ſuorum & ſtudiorum & actionum to- *Chryſoſt. ſuper 1. Timoth. Homil. 12.*

tius-

tiusque vitæ ſuæ rectricem habuit, nihil ut ſuſciperet, quod cum eâ non coniunctum exiſtimaret.

Hanc hujus viri pietatem, Adoleſcentes, ut & reliquas, de quibus dicturus ſum, vobis imitandam proponite, & in id elaborate, ut ab hoc ætatis veſtræ flore vos totos ad eam componatis: in eâ vos exercete ſedulò: percipitis ex eâ fructus ampliſſimos, & in hâc & in futurâ vitâ.

II. Eruditio. Poſt PIETATEM admiramur in hoc noſtro incredibilem, & prope ſingularem atque divinam VIM INGENII, quæ in puero mox ſeſe exeruit, cùm celerrimè omnia addiſceret, æquales vinceret, condiſcipulos docere poſſet, ut nō tàm ex Præceptore, quàm ex diſcipulo condiſcipuli proficere ſe

2.Tim.1.6. poſſe profiterentur.

Iſtum donum divinum, quod in ſe

Luc.19.20. ſenſit, non neglexit; ſed ſecūdum præceptum Paulinum exſuſcitavit: talentum ſibi concreditum non in ſudario repoſuit, hoc eſt, non indulſit ignavo otio, labores & ſudores non fugit: ſed ita

ita eo eſt uſus, ut per Dei gratiam ornaret & amplificaret. Non enim unquam quievit: Adoleſcens ſemper aliquid aut didicit, aut legit, aut ex condiſcipulo exercendi ingenii causâ quæſivit, quod ſenex etiam fecit: quâ ex re tàm præclaram in rebus Theologicis ſibi comparavit eruditionem, ut omnibus qui ipſum audiſſent, admirationi eſſet.

Etenim de ejus eximiâ illâ & præclarâ doctrina, etſi multa dici poſſent, tamen jam hoc unico contenti elogio erimus, quod ei tribuit Illuſtriſſimus Princeps & Dux Inclytus, Auguſtus Saxoniæ Elector, felicis recordationis, cum ejus Celſitudo Biblicum opus Complutenſe huic noſtro clementer dono dediſſet, atque hæc verba inſcribi curaviſſet.

D. O.

D. O. M.

GRATIA

D.

AUGUSTUS DUX SAXONIÆ S. Rom. Imperii Archimarſchalcus & Elector, Landtgravius Turingiæ, Marchio Miſniæ, & Burggravius Magdeburg:

Hæc

SACROSANCTA BIBLIA, Summo Viro, pietate, doctrinâ & virtute ornatiſſimo, D. JACOBO ANDREÆ, S. Theologiæ Doctori celeberrimo, doctrinæ cæleſtis, ab ultimi Heliæ, D. D. Lutheri morte, in his Regionibus, ab hominibus leviſſimis corruptæ, Inſtauratori integerrimo, de Eccleſia CHRISTI optimè merito.

Ob grati animi memoriam ſempiternam dono dedit Anno S.

M. D. LXXIX.

Hiſce

Digitized by Google

Hiſce verbis ipſius Celſitudo propriâ manu ſubſcripſit:

Tandem bona cauſa triumphat.

Auguſtus Dux Saxoniæ Elector.

Ecce, Illuſtriſſimus Princeps appellat hunc noſtrum ſummum Virum, pietate, doctrinâ & virtute ornatiſſimum, vocat Theologiæ Doctorem celeberrimum, Doctrinæ cœleſtis inſtauratorem integerrimum, de Eccleſiâ Chriſti optimè meritum. Quid verò præclarius à tanto Principe de hoc noſtro dici vel ſcribi potuiſſet? Sed pergamus ad alia.

Lectiones porrò cùm in Scholâ publicè doceret, non cum apparatu quodam & inani oſtentatione fuerunt comparatæ, quemadmodum in Hæreticorum Academiis ſolenne eſt: ut ſplendore fucato res proponant ſæpè parùm utiles, nonnunquam impias, ut præter oſtentationem vix quicquam laudabile, nedum utile ex iis percipere quis poſſit. Id D. Apoſtolus Paulus in falſis Doctoribus non modò reprehendit, ſed etiam damnavit: & docet, ſe non veniſſe in ſublimitate ſermonis aut ſapientiæ: & (III. Felicitas docendi.) (1. Cor. 2. 1.)

P

& hortatur, ut provideamus nobis diligenter, ne quis nos decipiat in ſublimitate ſermonum. (a Col. 2. 4.)

Hujus præcepti Apoſtoli noſter D. Jacobus ſemper fuit memor; nihil quicquam oſtentavit, ut gloriam aucuparetur; ſed pro felicitate ingenii ſui, ita ſe accommodavit ad captum auditorum ut docti pariter & indocti ex ejus prælectionibus proficere, & qui planè ſtupidus non eſſet, ex unicâ lectione multa addiſcere poſſet. Docuit tantùm utilia: quemadmodum in Propheta Dominus loquitur, cum ait: Ego Dominus Deus tuus, docens te utilia. (Eſa. 48. 17.) Ita certè noſter, tantùm ſtudioſorum habuit rationem, ut diſcerent neceſſaria atque utilia: Itaque ſermo & doctrina ejus fuit in oſtenſione Spiritus & virtutis, ut fides noſtra non eſſet in ſapientiâ hominum, ſed in virtute Dei. (1. Cor. 2. 5.)

IV. Praxeos monſtratio.

Inprimis autem in hoc incubuit, cùm Theologia noſtra in hoc mundo non debeat eſſe tantummodò Theorica, verùm etiam practica, quemadmodum Lutherus loquitur, diſcipulis ſuis in Explica-

plicatione ſcripturarum diligentiſſimè & feliciſſimè praxin oſtendit, hoc eſt, quomodo ad uſum Theologicum, ad conſolationem, ad doctrinam, ad redarguitionem, ad correctionem, ad Inſtitutionem quæ eſt in Juſtitiâ applicare debeant & poſſint. Quâ in re mirum eſt, quantum valuerint, tres illi ſummi Viri, in unâ Scholâ, Collegæ conjunctiſſimi, Præceptores mei fideliſſimi, quorum me neque pœnitet neque pudet: hic noſter, D. D. Theodoricus Schnepfius, uterque piæ memoriæ, & tertius, qui adhuc Dei beneficio ſupereſt, Reverendus, & Clariſſimus Vir D. D. Jacobus Heerbrandus. Similes tres tàm doctos, tàm utiles viros, tàm in Theologicà Facultate celebres, in uno loco an ſimul fuerint, vehementer dubito: utinam auté in celebri Tubingenſi Scholâ, & aliis rectè inſtitutis locis tales eſſe poſthac poſſint.

V. Donum diſputandi.

Diſputationes verò & ſcripta hujus noſtri defuncti quod attinet: Deum immortalem, quantâ felicitate, quantâ dexteritate omnia præſtitit? Etenim in

diſputando, nemo non potuit mirari celeritatem ingenii, quæ objecta tàm facilè potuit percipere, difficiles nodos facilimè diſſolvere, obſcura explicare: quod ipſum in ſcriptis ejus doctiſſimis cernere licet.

Ariſt. 8. Top. Inter diſputandum non fuit δύσκολος, ſed εὔκολος, quod certè rarum eſt in magnis ingeniis; quæ acres diſputatores plerumque ferre non poſſunt, præſertim ſi pertinacius ſeſe opponant. At hic noſter, quâ manſuetudine, quâ tolerantiâ quosvis ſæpè valdè immodeſtè & odiosè diſputantes audivit patientiſſimè, reſpondit placidiſſimè, erudivit tantâ manſuetudine, tàm incredibili comitate, ut omnes in admirationem ſui raperet.

Eſt hæc quidem diſputandi ars perdifficilis, eſt conjuncta cùm ſummâ eruditione, quæ neceſſariò requiritur, eſt paucorum hæc ars. Sæpè enim uſu venit, ut homo deficiat, etiamſi ratio non deficiat. Et quia non eſt omnium diſputatio, ut ille ait, ideò pauci diſputandi diſciplinæ gnari ſunt.

Auguſt. de verbis Domini, Ser. 38. Nazi-

At

At huic viro exercitatiſſimo adeò difficilis non fuit, ut ipſi fuerit facilima, & hoc ingens Dei donum quaſi connatum videretur: ita potuit Gordios nodos ſolvere, ut nihil tàm intricatum, nihil tàm involutũ videri potuerit, quod iſte non facilè potuerit evolvere, & expeditum facere.

anz. in laudem Heronis.

Auguſtinus lib. 2. ſoliloq. cap. 14.

De Auguſtino, præclaro Eccleſiæ lumine (ut eum D. Lutherus appellat) omnes ſenti unt, quicunque rectè ſentiunt: quòd ejus ingenii felicitas prorſus fuerit incomparabilis: ſive acumen ſpectes, quo obſcuriſſima quæq; penetravit; ſive capacis memoriæ fidem, ſive vim quandam mentis indefatigabilem, & ad neceſſariæ veritatis inveſtigationem aciem plus quàm Aquilinam. At hic noſter, annon eam aciem Aquilinam habuit, quâ veritatem inveſtigavit, atque in lucem clariſſimam produxit? annon vis mentis ejus fuit indefatigabilis? annon ingenii felicitas incomparabilis? certè qui eum diſputandem audivit, qui docentem audivit, qui hujus

viri ſcripta præclariſſima legit, is facilè vera me dicere intelliget.

VI. Donum concionandi.

Quid verò de Concionibus publicis hujus viri dicam? quanta, Jeſu bone, in eo fuit dicendi facultas? quantus populi concurſus, ſi ipſum concionaturum exiſtimabat? quâ attentione omnes & quâ voluptate eum audiverunt? quâ gravitate hic Vir verba fecit, quantâ autoritate, quantâ cum omnium admiratione?

Chryſoſtomus ob mellitiſſimam eloquentiam, ſicut ſcimus, hoc nomen eſt ſortitus, ut appellaretur os aureum. Non dicam de Pericle, quem Ariſtophanes, Cicerone referente, fulguráſſe, & tonâſſe dicit. Mitto ſuavitatem Iſocratis, ſubtilitatem Lyſiæ, acumen Hyperidis, ſonitum Aeſchinis, vim Demoſthenis, & ſimilium: Habeant iſti ſuam laudem. Sed tales (de gentilibus loquor) non Dei gloriam quæſiverunt, non utililitatem proximi: ad ſuam gloriam elaborarunt, gloriæ mancipia, ſua commoda ſpectarunt: & omnis ille dicendi ſplendor ferè inanis fuit fucus,

De oratore ad Brutum. 3 de Oratore.

quo

quo plerique plus damni dederunt Reipub. quàm utilitatis attulerunt. Verùm hic noſter, nullum inanem affectavit fucum, neq; propriam ambivit laudem: ſed ſolius Dei gloriam quæſivit, auditorum ſalutem: cujus eloquentia non fuit in flumine inanium verborum, ſed in manifeſtatione Spiritus: per cujus gratiam Sacra ità tractavit, ut verè Chryſoſtomus dici poſſet: ita animos movit, ut videretur alter Jacobus, Domini Apoſtolus & Frater, Tonitrui filius dictus, cujus nomen habuit. Cujus doctrina non fuit ex impoſturâ, neq; ex immunditiâ, neque cum dolo: neque per ſermonem adulationis verſatus eſt, nec per occaſionem avaritiæ, non quærens ex hominibus gloriam, cujus Deus teſtis eſt: ſed quemadmodum probatus fuerat à Deo, ut ipſi committeretur Evangelium, ita locutus eſt, non ut hominibus placeret, ſed Deo, qui probat corda noſtra, quemadmodum Apoſtolus loquitur.

Marc. 3. 17
1. *Theſſ.* 2. 3. *&c.*

VII. Donum conſolandi.

Conſolationes verò apud ægrotos, aut afflictos & perturbatos, aut in pri-

vatâ confeſſione, quâ ille Vir moderatione potuerit temperare, quâ humanitate fuerit uſus, teſtabuntur omnes, qui ab eo conſolationem, aut abſolutionem privatam acceperunt. Attulit profectò verba vitæ, hoc eſt, verba Chriſti, verba Scripturarum, ſalubres fontes Jſraëlis.
Eſai. 40.1. Hoc enim percepit Dominus per Prophetam, cùm inquit: Conſolamini, conſolamini populum meum, dicit Deus veſter, ad cor Jeruſalem (hoc eſt, blandè alloquimini) & prædicate ei, quod completa eſt militia ejus, dimiſſa eſt iniquitas ejus: ſuſcepit de manu Domini duplicia, pro omnibus peccatis ſuis. Pœnitentes & credentes in Chriſtum, non terruit purgatorio, non caſibus reſervatis: non opinione proprii meriti, aut neſcio quibus ſatisfactionibus & ſimilibus nugis aliis eſt conſolatus, quæ in trepidis conſcientiis, in contritis cordibus ad conſolationem nihil, ad deſperationem verò valent plurimùm: ſed lætiſſimam illis Evangelii concionem propoſuit, quia pauperibus annunciandum Evangelium eſt: eos inſtruxit ſolidè, jucun-

cun-

cundiſſimaque conſolatione ita confirmavit, ut rectè cum Salomone de hoc noſtro dicere poſſis, Favus mellis jucunda verba, dulcedo animæ, & ſanitas oſſium. Id ego expertus ſum in graviſſimo & diuturno meo morbo: experti ſunt mecum alii multi, qui adhuc vivunt, qui hac de re cæterisque hujus viri ornamentis teſtari veriſſimè poterunt. *Prov. 16. 24.*

VIII. Zelus.

Præclara eſt virtus, quæ dicitur zelus bonus, vel zelus ſecundum ſcientiam: qui eſt ſeria & ardens dilectio Dei & nominis ipſius, ortus ex verâ in Deum fide, accenſus à Spiritu Sancto: quo homo impulſus & inflammatus poſthabitis omnibus vitæ periculis conatur Dei nomen & gloriam tueri, & vindicare.

Heroica quidem planè virtus, ſed præcepta à Spiritu Sancto, ſcribente Apoſtolo: *τῇ σπουδῇ μὴ ὀκνηροὶ τῷ πνεύματι ζέοντες.* Hâc virtute Magiſter noſter unicus, Salvator Chriſtus, in quo omnes virtutes ſunt perfectæ, cunctos antecelluit: hâc Prophetæ & Apoſtoli *Rom. 12. 11*

claruerunt; hâc inter Patres præcipuè Athanaſius cæteris præſtitit: hâc poſtremo hoc ſeculo poſtremus Elias Lutherus & inter Lutheri diſcipulos noſter D. Jacobus claruit. Et certè, quod D. Paulus gentium Apoſtolus de ſe veriſſimè ſcripſit: ita hic de ſe verè dicere potuit: quis infirmatur, & ego non infirmor? quis ſcandalizatur, & ego non uror? Hoc zelo divino ardens noſter, in omnibus Miniſterii ſui partibus, quos labores non ſuſtinuit, quæ pericula non ſubiit? Athanaſius ſanctiſſimus ille orbis oculus & Sacerdotum Antiſtes, ut cum Nazianzeno loquar, vocat Originem θαυμαςὸν καὶ φιλοπονώτατον. Maximè verò fuit noſter defunctus, ad miraculum usque laborioſus & induſtrius. Quis enim eſt, qui ejus labores, vigilias, legationes, itinera, meditationes, poſſit percenſere, ne dicam ſuſtinere? certè ſi labores illi quos hic Vir unicus exantlavit diſtribuendi eſſent inter decem, decem illi non ſufficerent. Hoc miratus ſum ego ſæpiſſimè, mirati ſunt omnes, quibus ille fuit,

2. Cor. 11. 29.

Nazianz. in laudem Heronis. Socrates lib. 6. c. 12.

fuit notus : & niſi divinâ ope fuiſſet ſuffultus, ſingulari gratiâ à Deo ornatus, tanta profectò præſtare non potuiſſet. Sed ad omnes iſtos plusquam Herculeos labores, hunc virum impigrum & alacrem fecit Divinus ille zelus de quo dixi, ille pius ardor à Spiritu Sancto accenſus, pro Dei gloriâ, pro ſalute multorum: huc omnes & ingenii & corporis vires intendit. Nec ſolùm in Juventute iſtam alacritatem, iſtam φιλοπονίαν oſtendit; ſed in extremâ etiam ſenectâ, ad extremum usq; Spiritum. Nulli quieti ſe dedit aut otio ignavo; docuit, commentatus eſt, peregrinatus eſt, æſtate, hyeme, nullâ deterritus cœli inclementiâ, etiam ætate jam ingraveſcente, quocunque eum officii ſui rationes vocabant. Hos hujus Viri labores, hanc induſtriam, hunc Spiritum ferventem, teſtabuntur multæ Eccleſiæ in Germaniâ, multa monumenta, & ea, quæ paucis diebus ante vitæ ſuæ finem ſcripſit & abſolvit.

Utinam verò multi quibus ingeniū eſt & vires ſuppetunt, idem conentur

Digitized by Google

& idem præſtent! Præter hunc heroicum & divinum zelum alia fuit in hoc viro heroica virtus, Magnanimitas nimirum: quam tùm in aliis rebus oſtendit, tùm maximè in periculis, quæ nullâ temeritate adiit, nullâ timiditate fugit. Quas minas non audivit? quibus acceſſerũt terrores intus, foris pugnæ: ſuper quæ verba (ut in quâdam è Saxoniâ ad me Epiſtolâ ſcripſit) integrum commentarium didicit. Quoties & quàm multi admonuerunt eum de inſidiis, de periculis, quæ ipſi hîc vel alibi ſtruerentur, ut ita ab officio ſuo & opere concordiæ abſterreretur. Sed hic noſter nullis minis abſterritus, ſolummodò ſpectavit, quid Dei gloria requireret, quid ſalus Eccleſiæ poſceret, quid officium poſtularet: id cum apud ſe exploratum eſſet, amicorum conſolatione acceptâ, animo infracto & verè heroico, Domino confidens, adiit mille diſcrimina rerum: inter cæteras conſolationes quas animo & memoriâ promptâ habuit, ſubinde repetiit has præcipuè duas ſententias: Jacta

IX. Magnanimitas.

2. Cor. 7. 5.

ſuper

ſuper Dominum curam tuam, & ipſe dabit in æternum fluctuationem Juſto. Item: Non moriar, ſed vivam, & narrabo opera DOMINI. *Pſal. 55. 23.* *Pſ. 118. 17.*

X. *Preces.*

Solitus eſt hic Heros accuratâ meditatione perpendere hujus exulcerati ſeculi res perturbatiſſimas, quia dies mali ſunt, ut Paulus inquit: idcircò cũ reliquis Chriſtianis voluit συναγωνίζεσθαι, hoc eſt, preces heroicas & valdè ardentes pro Eccleſiâ & Republ. Chriſtianâ fundere, præcipuè cum ſolus eſſet, quod illi norunt, qui ita precantẽ, ſolum repererunt. Quàm pii autem & ardentes fuerint affectus erga Deum, qui gemitus, quæ ſuſpiria, vidi & audivi interdũ, explicare non poſſum. Certum verò eſt, & nemini dubium, quod magni viri & præclari Heroës ſuis interceſſionibus apud Deum multa obtinuerunt. *Eph. 5. 16.* *Rom. 15. 30.*

Moſes ſummus Propheta, Dei amicus, precibus Deũ tenuit: & obtinuit, ne populus propter horribilem Idolatriam vituli aurei extingueretur. Ad preces Eliæ non pluit ſuper terram an- *Exod. 32.* *Iacob. 5. 17*

nos tres & ſex menſes, & rurſum ad ejus preces cœlum dedit pluviam, & terra protulit fructum ſuum. Ita quis dubitabit, hunc virum cùm tantâ fiduciâ Dominum precaretur multa avertiſſe mala, plurima Eccleſiæ & Reipubl. impetraſſe bona.

XI. Dexteritas in cõſulendo.

Præclarum in hoc noſtro ſemper fuit, & nunquam non admirati ſunt, qui eum in graviſſimis deliberationibus & conſultationibus viderunt & audiverunt. Res arduas, difficiles, diu controverſas deliberatasque ſingulari Dei beneficio, admirabili dexteritate, aperire, explicare, perſpicuas facere potuit, ut omnes, qui ipſum audirent, ejus rationes & conſilii cauſas cognoſcerent, facilimè in ejus ſententiã concederent. Etenim talia ejus viri fuerũt conſilia, quæ ad pacem & cõcordiam, inprimis ad Dei gloriam, ad ſalutem multorum, ad Eccleſiæ ædificationem vergerent: adeò potuit, ſuo candore, ſuâ pietate, ipsâ cauſæ bonitate, alios etiam qui diverſum ſentiebant in ſuã pertrahere ſententiam.

Ma-

Magnum eſt Dei beneficium bonos habere conſiliarios & prudentes; quòd agnovit Pharao Rex Ægypti, cum Joſephum plenum prudentia & fidelitatis cōſiliarium reperiſſet. Quantum adjumentum fuit Moſi, ſummo illi Viro Dei, cum ei Jethro oſtenderet, quâ ratione grave illud adminiſtrādæ Reipubl. onus levare poſſet, ut & Moſi facilius eſſet, & populo ſalutare? Aſt hoc & alia Dei beneficia non agnoſcuntur, donec amittamur: & ut ille ait,

Gen. 41. 38

Exod. 18. 17.

Virtutem incolumem odimus,
Sublatam ex oculis quærimus invidi.

Horat. lib. 3. Carm. Ode 24.

Atque hæc eſt juſta Dei vindicta, ut poſthac eo munere careamus, pro quo non fuimus grati: ſicut per Prophetam interminatur, quod ablaturus ſit Senem & honorabilem vultu, & conſiliarium, & peritum oratorem &c. Ita ingratus mundus hoc tanto viro, quo certè dignus non fuit, eſt orbatus.

Eſai. 3. 2.

XII. Studioſorum & paupe. cura.

Laudabile præterea in noſtro D. Jacobo fuit, & profectò veræ pietatis, fidei, charitatiſq; Chriſtianæ haud exiguum

Ahlam; ad Reformationem Eccleſiæ.

Lin-

Lindavium; ubi egit cum Tobia Rupio Flac-
ciano.

1576. Neoburgum; ad Viſitationem Eccleſiarum.

Ratisbonam; ad Compoſitionem Controverſiæ de Excommunicatione.

Torgam Saxoniæ; ad Conuentum.

Zigenheim, ad Haſſiæ Landgravios.

VVolffenbytum; ad Ducem Iulium, Concordiæ cauſa.

Caſſellum; ad Haſſiæ Landgravium Ludovicum; ob eandem.

Onolspacum; ad Georgium, Marchionem Brandenburgenſem.

Tubingam.

Saxoniam cum Vxore & liberis, & primò

Onolspachium; poſt

Torgam; hinc

Lipſiam; ubi cum Caſparo Peucero de Communicatione Idiomatum collocutus 16. Nouemb.

Zeizam.

1577. Iehnam; ad Viſitationem Academiæ.

Lipſiam.

VVittebergam; ad commendandum Eccleſiæ D. Polycarpum Lyſerum.

Dreſdam.

Bergam; ad revidendam Concord. formulam.

Deliberatio cum Electore Saxoniæ de negotio Bergenſi.

Anhaltum; ad Principem.

Magdeburgam; ad Adminiſtratorem.

Lipſiam.

Mar-

Marchiam.
Brandeburgum; ad Marchionem Georg. Fridericum.
Onolſpacum.
Stuttgardiam.
Onolſpacum,
Vinariam; ad Viſitationem Eccleſiarum.
Dresdam.
Brandenburgum; iterum ad Marchionem Georgium Fridericum.
1578. Onolſpacum.
Tangermundam ad Conventum.
Lipſiam; ubi Electori Saxoniæ ſubſcriptiones Suevicarum Eccleſiarum tradidit.
Dresdam; ad primam Synodum.
Lipſiam.
Hertzbergam; ad Conventum, de rebus Pruſſiacis, & Amelungo, inſtitutum.
Tubingam; reduxit eò coniugem & liberos.
Smalcaldum.
Lipſiam.
1579. Tubingam.
Caſſellum; ad Landgravium, ob Synodum, & mutationem aliquot Superintendentiũ.
VVolffenbytum.
Iüterbocum ad Collationem Theologicam.
Torgam } ob conſtitutionem Eccleſiarum.
Dresdam }
1580. VVolffenbytum; ad Ducem Iulium, ob negotium Concordiæ.
VVittebergam.
Dresdam.
Magdeburgam; ad D. Chemnitium.

Annæburgum; ad Electorem *Saxoniæ*.
Badenam; ad Electorem Palatinũ Ludovicũ.
Tubingam.
Onolspacum; ad informationem *S*ebaſtiani Huberi Flacciani. 16. Iulii.
Dresdam. publicabatur tùm FORMULA CONCORDIAE.
1581. Tubingam.
Hohenloam bis; ad Comitem VVolgangum.
1583. Bebenhuſum; ubi refutavit Orthodoxũ Conſenſum Calvinianorum.
1584. Hohenloam.
*S*tuttgardiam; ad Colloquium cum Henrico Ioam à Mundelsheim Prætorio Argentinenſi, de Cœna Domini, & perſonâ Chriſti.
1586. Mompelgartum; ad Colloquium cum Beza.
1587. Nördlingam; ad compoſitionem alicuius negotii Eccleſiaſtici.
Gechingam.
Philozellam; ſanitatis recuperandæ causâ.
Ratisbonam; ad componendam Controverſiam Miniſtrorum de Vſurâ.
1588. Onolspacum; ad Marchionem Georgiũ Fridericum ob concionatorem eius aulicum Calvinizantem.
Bernam Helvetiæ; ad Collationem cum *S*enatu de Colloquio Mompelgartenſi.
Thermas ferinas; ſanitatis recuperãdæ causâ.
1589. Badenam; ad Colloqium cum Piſtorio Apoſtata.

Y I.

Digitized by Google

VISVM EST EX MAGNO EPISTOLARUM familiarium numero, paucas quasdam elucidandæ hiſtoriæ aptas, ſeligere, & in anteceſſum reliquarum, hic addere.

Reverendo Viro, ac eruditione & virtute præſtanti D. Johanni Brentio, Gubernanti Eccleſiam Dei in Regione Würtembergenſi, fratri ſuo chariſſimo. S. D.

REverende Vir, & frater chariſſime. Adoleſcenti Balthaſaro Gültlingero reditum felicem in patriam opto, eumque ut ſuis commendes peto. Intelligit honeſta officia, & virtutem amat, & ait, ſe velle procedere in ſtudio juris. Utinam aulæ habeant, juſtos ejusmodi, prudentes, & eruditos gubernatores, qui propter eruditionem etiam magis foveant Eccleſias, & Doctrinarum ſtudia. Me vocaverat Otto

Digitized by Google

Heinricus ad deliberationem de Academia in Patria, ſed retineor in hac ſcythia, ſeu fato, ſeu mea timiditate. Pendeo velut ad caucaſum alligatus Prometheus, & ſi verius ſum ἐπιμήθευς, cum quidem graviſſimas cauſas & habuerim ante viginti annos, & adhuc habeam ex hac rabie ingeniorum procul diſcedendi. Sed non eſt hominis via ejus, ut Propheta inquit. Oro autem Filium Dei ut me gubernet. Benè vale, & ſæpius ad me ſcribito. Die April. 21.

Philippus Melanchthon.

ORnatiſſimo Viro M. Jacobo Andreæ docenti Evangelium Chriſti Tubingæ, amico ſuo chariſſimo.

S. In Chriſto. Tuæ literæ, amiciſſime mi Jacobe, etſi fuerunt mihi gratiſſimæ, tamen doleo, te cogitationibus tuis ex variis iſtis rerum caſibus, ſic flagellari; ut exiſtimes tibi vel coram me, vel coram bonis quibusq; apologiam neceſſariam eſſe. Spero autem omnino tibi, quem audio ſingulari dono con-

ſolandi

ſolandi afflictos ornatum eſſe, nihil ad ſuſcipiendam animi æquitatem defuturum. De meis adoleſcentibus, quod primo literarum loco commemoras, tranquillo ſis animo. Memini quidem quod conſilia ipſorũ reprehenderim, ſed quid his parte fuerint, planè mihi excidit, & quantum meminiſſe poſſum longè aliud, nec prorſus quicquã inhoneſti, de te cõmemorabant. Quod qualecunque ſit, hoc tibi perſuadeas velim, vinculum, quo per Spiritum Chriſti conjuncti ſumus, longè maius & fortius eſſe, quàm quod puerorum querelis diſſolvi queat. Quod ſcribis de hoſpite percuſſore, opinor te ipſum jam coram è Conſiliariis Principis cognoviſſe, quo conſilio in ipſum levius ſit animadverſum, quàm res exigere videbatur. Nec dubito, quin ſi quid infamiæ miniſterio tuo ex his rebus contractum fuerit, nũc iterum poſtquam princeps ipſe tuas conciones audivit, deterſum ſit. Et magis contemnendæ ſunt tales vulgi voces, quàm magni faciendæ. Scis quid Ethnicus ille alapa percuſſus reſponderit: neſciebam, in-

quiens, mihi galeato incedendum eſſe. Tu Evangelii Profeſſor ne ſis impatientior Ethnico. Habet percuſſor ille gloriam apud ſuos in hoc ſeculo, habes tu gloriam apud tuos in cætu cœleſtium. Et factus es etiam hac nota conformis imagini Chriſti, quem profiteris. Quare tantum abeſſe debet, ut quicquid id ſit rei, te ab Eccleſia tua abalienet, ut potius arctius te ipſi conjungat. Benè ac feliciter vale. Die 7. Octobr. Anno 1550.

Ioannes Brentius, tuus.

Clariſſimo Viro S. Theologiæ Doctori Jacobo Andreæ, Paſtori Göppingenſi, fratri honorando.

S. Cum primum rediiſſem ex Helvetia, ſcripſi tibi Jacobo Andrea, ſuaviſſime, ac reddidi rationem mei itineris, verùm quod ſperavi, non ſum conſecutus, hoc eſt, ut tu ad me viciſſim multa de te, de familia, de omnibus amicis: cur non feceris non poſſum divinare, certè dū me non deſines amare, omnia boni conſulo. Venit nunc ad te chariſſimus frater meus, bonus certè

vir,

Digitized by Google

vir, Federicus Hepplius, quem venire ſine meis literis ſi paſſus fuiſſem, timuiſſem ne me negligentiæ accuſares. Quare ſcribo, tametſi nihil habeam, quod ſcribam. Valeo, laboro, ut ſoleo, reliqua Federicus. Salvere jubeo uxorem, paſſeres, parices, fratrem M. Alexandrum, Oſiandrumque. Orate pro me. Stuttgardiæ. 3. Jun. 1555.

Vergerius.

Juveni & docto & pio M. Jacobo Andreæ, Miniſtro Eccleſiæ Tubingenſis, amico ac filio ſuo chariſſimo.

Gratiam & pacem in Chriſto Jeſu. Magnâ affectus ſum lætitiâ, Jacobe amantiſſime, quod te mihi ſucceſſorem haud dubiè divinitus deſtinatum intelligo, Filium ſcilicet Patri, atq; quod ſine arrogantiâ dictum volo, imaginem archetypo ſuo. Sic enim te cùm Natura finxit, tùm imitatio diligens efformavit, quod à multis jam prædicari audio, ut tenuitatem meam non referre tantum, ſed ſuperare etiam propemodum videaris, adeò ut ſupereſſe adhuc meis, imò præſens eſſe, ac

vivere, propemodum in tuâ perſonâ illis videam. Quanquam verò nihil mihi arrogo, Jacobe ſuaviſſime teſtimonio tamen bonæ conſcientiæ in magnis etiã meis ærumnis exulto. Quam ut ſemper in oculis habere queas, velut tibi cum Natura tùm imitatio diligẽs, cætera mea omnia haud vulgariter referre dedit, etiam atque etiam precor, patrem miſericordiarum, ac DEUM omnis conſolationis: qui te adverſus & Leonini & Vulpini hujus ſeculi cùm minas tùm blanditias ita munire velit, ut integram ſemper conſcientiã in conſpectu Eccleſiæ coram oculis Chriſti, retinere queas. Intellige quæ ſcribo, ac cogita non ſolùm quàm impetuoſum, ſed multò magis, quàm inſediosum Pelagus tibi navigetur. Cætera ex Epiſtola ad filios meos ſcripta. Vale æternùm fili chariſſime, atque per omnia γνησιώτατε, ac me Eccleſiæ noſtræ precibus, quod te diligenter facere intelligo ſemper commenda. Salutabis tuum Dominum Joannem Möſchium, ſi apud vos adhuc verſatur, quam gnaviter ac ſtrenuè officium

ſuum

ſuum feciſſe, ex animo gaudeo. Vale iterum Jhenæ ad Salam. 4. Decembris. Anno 1549.

Tuus ex animo

Erhardus Snepffius.

Pietate, doctrinaque præſtanti viro. M. Jacobo Andreæ Eccleſiæ Tubingenſis Diacono, amico ac filio ſuo chariſſimo. Gratiam & pacem in Chriſto Jeſu. Toto te pectore, Jacobe amantiſſime veſtigia mea inſecutum eſſe vel hoc argumento eſſe queat locupletiſſimo, quod raſis illis AntiChriſti idolis officium tuum non probatur. Sed bono ſis animo, quæſo, quemadmodum enim in cæteris meis (abſit arrogantia dicto) à me ſtudioſè imitatus es, ita in ferendæ propter Conſtantem Chriſti confeſſionem, cruce tuâ imitatorem te meæ tenuitatis fieri oportuit. Quemadmodum verò cùm alias ſæpè, tùm in hoc exilio illuſtrem DEI mei præſentiam, mirificam conſolationem, ac peculiarem clementiſſimi Patris in Chriſto Jeſu erga me curam & gubernationem expertus ſum: ita pla-

nè tibi perſuadere debes, tùm tibi præſentiſſimum adeòque unitiſſimum fore Cœleſte numen cum illud propter ingruentes ærumnas, quàm longiſſimè carni & ſanguini receſſiſſe videbitur. Domini eſt terra, & plenitudo ejus. Non ſolùm in Sueviâ regnat DEus, ſed in quovis etiam, quàm remotiſſimo à vobis angulo triumphat, Bono igitur ſis animo, mi Jacobe, projice curam tuam ſuper Dominum, & ipſe te ſuſtinebit, nec dabit in æternum fluctuationem juſto, neque impii dimidiabunt dies ſuos. Vale & vive in eo, qui ſanguine ſuo de peccato, Sathanâ ac inferno præclariſſimum, omnibusque ſeculis ſalutiferum triumphum egit. Vale in æternùm, amicosq; ſaluta. Jhenæ 27. Febr. Anno 1550.

Snepffius Pater.

Egregiâ pietate, eruditione, ac conſtantiâ ornato M. Jacobo Andreæ, Eccleſiæ Tubingenſis Miniſtro, filio ſuo dulciſſimo.

Gratiam & pacem in Chriſto. Gratiſſimæ fuerunt literæ tuę, Jacobe chariſſi-

ri ſſime, cùm propter eximiam erga me benevolentiam cujus locupletiſſima argumenta ubique præferunt, tùm propter diligentiam conſcribenda rerum veſtrarum Hiſtoriæ. Multa enim ex literis tuis didici, quæ alioqui prorſum ignoraturus fueram: propterea, quod nemo ex noſtris tam diligenter omnem rerum veſtrarum ſtatum depinxerit. Sentio autem Sathanam hâc triſtiſſimâ vaſtatione, quam Eccleſiæ veſtræ cum magno dolore expertæ ſunt, nondum contentum eſſe furit, æſtuat, & tantiſper, quod valdè metuo graſſabitur, donec miſeram Regionem prorſum hoc ſuo Theſauro exuat, & cæleſtem hanc doctrinam vobis prorſum excutiat. Non tamen deſpondendus eſt propterea animus. Domini enim virtus in infirmitate declaratur, ſed infracto animo contra ſemper eundum, quemadmodum te ſedulò facere, ex multis veſtrorum, qui laudum Tuarum præconium ſuſceperunt, literis intelligo. Non potes mihi diſplicere, fili chariſſime, cum iſtis, quos ſcio toto pe-

 ctore

ctore Chriſtum amplexos eſſe, tam opulenter ſatis facis & places. Macte igitur Jacobe dulciſſime, fide & pietate: Sic itur ad aſtra. Hoc enim faciens te ipſum & eos qui te audiunt, ut Apoſtolus ad Thimotheum ſcripſit, ſalvum facies. Vale in æternum; & me, ut ſoles, ama. Salutabis ex me reverenter collegam tuum, cui tam pulchrè tecum convenire toto pectore gaudeo. Ante omnes ſalutabis M. Anaſtaſium, mihi longè chariſſimum ac dehinc amicos omnes. Scis noſtros quorum nullum excluſum volo. Æqui bonique conſules, Jacobe dulciſſime, hanc meam iniquitatem ſummam, quod pro tam prolixâ, eruditâ, elaborataq; epiſtolâ tuâ, tàm breve, truncum, cancellatum, turpe fædumque epiſtolium remitto. Vale iterum cum tuis & pro nobis Dominum ora. Jhenæ. 28. Auguſt. Anno 1550.

Schnepffius Pater.

Docto ac pio Juveni M. Jacobo Andreæ, Miniſtro Eccleſiæ Tubingenſis, amico ac filio ſuo chariſſimo.

Gratiam & pacem in Chriſto Jesu.

Cum

Cùm nominibus aliis multis Jacobe chariſſime, tùm hâc maximè de causâ gratiſſimæ mihi fuerũt literæ tuæ, quod ſtatum Eccleſiarum veſtrarum, quem ex aliorum literis tàm perſpicuè intelligere non potui, ex tuis non modo luculentiſſimè cognovi, ſed manibus etiam ipſis mihi propemodum palpare viſus ſum. Video enim nondum depoſitum eſſe à veſtris ignaviſſimum illum metum, qui non veſtra duntaxat ornamenta, ſed in universâ propemodum Germaniâ res præclariſſimè conſtitutas horribiliter labefactavit. Tu verò ne frangaris animo, Macte, virtute Jacobe: ſic itur ad aſtra, ſed contra audétior ito, dicetur enim & tibi aliquando: Euge ſerve bone & fidelis ſuper pauca fuiſti fidelis, ſupra multa te conſtitutam: ingredere in gaudium Domini tui. Licebit, inquam, & tibi aliquando, cum θεοπνέυςῳ τῦτῳ καὶ ἁγιώτατῳ Apoſtolo gloriari: certamen bonum decertavi, curſu conſumavi, FIDEM SERVAVI, Jch hab Glauben gehalten als ein redlich Kriegsman. Quod ſupereſt, repoſita eſt mihi juſtitiæ corona, quam reddet

mihi Dominus in illâ die, qui eſt juſtus judex, non ſolùm autem mihi, ſed & omnibus, qui diligunt adventum ipſius. Κακοπάθησον οὖν καὶ σύ ὦ κάλλιστε ἰάκωβε ὡς καλὸς στρατιώτης ἰησοῦ χριστοῦ hujus celeumatos Apoſtolici perpetuò memor ἐὰν δὲ καὶ ἀθλῇ τις, οὐ στεφανοῦται, ἐὰν μὴ νομίμως ἀθλήσῃ. Laborantem Agricolam oportet primùm de fructibus percipere. Memento Jeſum Chriſtum reſurrexiſſe à mortuis, &c. Mortuis quidem eſt Jeſus, ſed mortuus non manſit, verùm tertiâ die à mortuis reſurrexit. Certus autem ſermo & indubitatus ſi commortus ſumus & convivemus, ſi ſufferimus, & conregnabimus: Si Negamus, Ille negabit Nos. 2. Tim. 2. Salutat vos omnes cum familiabus veſtris honeſtiſſimis domus mea dulcis & amica. Salutate vos invicem omnes oſculo ſancto. Salutate amicos quorum catalogum noviſtis; ut ille ſubinde creſcat, non decreſcat faxit Dominus. Jhenæ 1. Auguſti. Anno 1551.

Schnepffius, Pater & amicus.

Pio

Pio & erudito juveni M. Jacobo Andreæ, Evangelii Miniſtro, Gratiam & pacem in Chriſto.

Quàm te literæ meæ ut ipſe teſtaris, afficiunt, & inflammant Jacobe dulciſſime, tàm me tuæ delectant ac recreant, cum propter multa alia, tùm maximè propter Liberrimam παῤῥησίαν tuam, quâ ſtatum rerum veſtrarum non fuco adulteras, ut ſæpe multi alii, aut pallias, ſed nativum illi colorem concedis, ac planè, quod res eſt, & perſpicuè narras, vaccam vaccam, ſcapham ſcapham vocas. Vehementer enim tibi accedo, nec meliora ipſe ominari poſſum. Advolante præſertim, & tanto impetu in veſtram Eccleſiam irruente jam infandorum & rapaciſſimorum vulturum cohorte illâ ſpurciſſimâ, novum videlicet hoſtium genus, & iis, cum quibus & antea bellum perpetuum fuit, multis nominibus, & nocentius, & truculentius. Imbelles illi pullos infeſtare, rapare, dilaniare non ceſſant, & ſi nihil ſit vivarum carnium, turpiſſimam illam inexhauſti ſui barathri ingluviem, quemadmodum de Cæmiterio & cataverum fætenti-

tentibus inteſtinis pro more exaturent, exquirunt. Ego tibi, mi Jacobe, ut nihil aliud, meum tamen cor interim, & paternam illam ϛοργὴν in illâ aularum camarinâ, quâ hactenus te proſequutus ſum ſemper, æternam & immotam polliceor. Tu forti & infracto eris animo, memor Dominum JESUM Chriſtum ex ſemine David reſurrexiſſe à mortuis 1. ad Tim. 1. ac pro nobis orabis. Saluta meo ac meorum nomine & familiam tuam dulciſſimam, & amicos omnes, quorum catalogum moleſtum eſſet addere, noſtrum in primis Anaſtaſium. Vale felix. Jhenæ. 18. Decembris. Anno. 1551.

Schnepffius tuus ex animo.

Doctrinâ & virtute ornatiſſimo viro. D. Doctori Jacobo Andreæ, Paſtori Geppingenſi, amico, fratri ac filio ſuo chariſſimo.

Gratiam & pacem in Chriſto Jeſu. Epiſtolam tuam, Jacobe amantiſſime, plenam amoris & ardentium affectuum non alio animo, quàm quo pater cariſſimi filii Storgen & omnia pietatis officia

ample-

amplecti ſolet, accepi. Nihil igitur eſt, quod de vetere meâ, erga tuam humanitatem, benevolentiâ, ſiniſtrè ſuſpicaris. Sum enim qui ſemper fui, nec quicquam de meo erga te amore decerptum eſt, quod ut certiſſimè tibi perſuadeas, etiam atq; etiam rogo. Gratulor autem tibi, amantiſſime fili, inſignem illam gratiam, quâ te Princeps illuſtriſſimus Complectitur: & DEUM oro toto pectore, ut hæc gloriam DEI ornare, tibi privatim & toti Eccleſiæ publicè ſalutaris eſſe poſſit. Non enim obſcurum eſt, quantum organa Eccleſiæ ſummis capitibus cara in utramvis partem efficere poſſint. Non eſt autem omnino nihil, & ſubinde oriuntur nova quæ operam veſtram requirunt. Videndum igitur, ut ſtrenuos nos præbeamus, nè muti canes fuiſſe videamur. Res autem hoc tempore ferè ita comparatæ ſunt, ut Aulæ ægrè admonitionem aliquam admittant. Danda tamen nobis eſt opera, ut animas noſtras liberemus. Quàm ſublimi tàm difficili & periculoſo loco ſtamus! Vellem modum aliquem in exigendo adhiberi tenes me. Hæc autem

tibi

Digitized by Google

tibi in aurem. Rogo autem te, Jacobe dulciſſime, ut θρεπτήρια & δίδακτρα, quæ mihi debebas, & abſenti mihi reddere non potes in filium meum Theodoricum commilitonem tuum conferre velis, voles autem, quod pro veteri noſtrâ amicitiâ mihi prorſus perſuadeo; & poteris, præſertim in eo gratiæ faſtigio collocatus. Et magnâ admiratione ducor, hactenus nullam ipſius rationem habitam eſſe. Quam ſi pro tenuitate ſuâ non merebatur filius meus, aliqua tamen eſſe debuerant mea merita, qui verè, ſed ſine arrogantiâ gloriari poſſum, prima me pietatis fundamenta in hoc Ducatu veſtro jeciſſe, & fanaticis hominibus magna conſtantiâ obſtitiſſe, ne errores inoleſcerent, & publicè reciperentur. Quanto autem rudimenta hæc mihi labore, quantis ſudoribus, & periculis, in tantâ præſertim præpotentium adverſariorum multitudine conſtiterit, cor ſubinde meum mihi refricat, & æternum Deum teſtem habeo. Nemo verè initiò inter noſtros Aulicos erat, qui non vel Papiſmum pertinaciter propugnare, vel fanaticis opinionibus infe-

ctus

Digitized by Google

ctus negotium mihi aliquâ ſaltem ex parte faceſſere ſummâ animi obſtinatione conſtituiſſet. Sed momentanea, & caduca nimis eſt memoria benefactorum; offenſionum autem ferè æterna & immortalis. Annon putas ingenti interdum dolore me affici ex hâc ingenti & ineffabili ingratitudine? Æquiore animo hæc omnia ferre poteram, ſi Evangelium prorſus abjeciſſet Würtenberga, ſed cum adhuc hoc nomine vult gloriari, & verè gloriatur, ac ſuperbit, nullam tamen culpam in ejectione, & repudiatione parentis ſui, qui eam per Evangelium in Jeſu Chriſto regeneravit agnoſcit, quid dicam, quid cogitem? Sed tu benè vale, Jacobe dulciſſimè. Quod enim optimo ſemper ac integerrimo animo erga me fueris, certiſſimè mihi perſuadeo, nec unquam poſthac etiam aliter mihi perſuaderi patiar. Vale iterum. Ratisbone. 25. Auguſt. Anno 1556.

Erhardus Schnepffius tui adhuc amantiſſimus.

Ad

Ad Regnum Cælorum pio ac Docto Viro, Dn. Joanni Mœſchio fratri ſuo in Chriſto ſemper amando.

Conſoletur te Chriſtus & conſervet omnes tuos ad ſalutem æternam, mi Chariſſime frater, intellexi cùm ex literis tuis, tùm ex filio tuo, quo in ſtatu nunc res tuæ verſentur. Doleo certè ex animo vices tuas omniumq; bonorum confratrum, qui in eâdem tecum ſunt navi, quodque in iſta rerum perturbatione ad nos confugere ſtatuiſti, certiorem te faciam, quo in ſtatu res noſtræ jam hic ſunt. In ſingulas horas expectamus, ut & nos ſedibus ejiciamur noſtris. Nam ſi noſtri vel INTERIM vel Papiſmum immittere velint in noſtram urbem, non videmus, quomodo nobis hic amplius commodus futurus ſit locus. Hiſce diebus Epiſcopus noſter legatos ſuos habuit apud ſenatum noſtrum, & petiit omnimodam plenamque reſtitutionem omnium in ſpiritualibus (ut vocant.) Iſtud noſtri nullo modo facere poſſunt, niſi Chriſtum & totam Religionem turpiter prodere velint. Senatus ergo deliberationem accepit; quid

velit

velit reſpondere, quid facere, ad huc incertum eſt. Tempus verò brevi declarabit, dilationem enim res non patitur. Et Sathan, qui pro regno ſuo, quàm noſtri pro regno Chriſti erant, longè magis ſollicitus eſt. Supra modum urget cauſam ſuam: egregiè enim uti novit nactâ occaſione, quam noſtri prohdolor turpiſſimè ne dicam impiiſſimè neglexerunt. Rebus itaque noſtris tam incertis & dubiis non video qui tibi aut aliis bonis hic locus eſſe poſsit. Nulla modo hîc vacat provincia, neque in agro. Imò boni fratres ex agro & totâ viciniâ in urbem ejiciuntur. Dein ex aliis locis multi boni viri ad nos confugiunt, qui quomodocunque poſſunt, ſeſe ſuſtentant; qui non eſt antea apud nos in miniſterio; quo tamen ut privetur & ipſe, in ſingula momenta expectādum eſt, huic plane nulla manet conditio Eccleſiaſtica. Jam expende, chariſsime frater, apud te, num tibi faciendum ſit, ut te ad nos conferas. Conſulo ergo tibi, ut apud tuos maneas, quamdiu tibi manere conceditur, etiamſi concionandi locus publicè tibi negatus ſit, potes enim

præ-

Digitized by Google

præſentiâ tuâ multos adhuc conſolar & corroborare in ſanâ doctrinâ. Multi boni viri Dominus Brentius & alii libenter manſiſſent apud ſuos, tantùm ut cives, quibus tamen non eſt conceſſum. Quod ſi ne ſic quidem apud tuos manere dabitur atq; hic ego Argentinæ manſero, tum te cum omnibus tuis ad me recipias. Patebunt tibi fores meæ noctes & dies & communia tibi mea omnia ſicut amicorum eſſe debent, præſertim in talibus caſibus, qui nunc ſe offerunt facio, tamdiu mecum vivas, quamdiu Dominus victum ſuppeditabit. Nec velim verba honoris tantum (ut vulgò dicitur) quæ ſcribo putes. Probè enim ſcio quâ ſynceritate, præſertim hoc periculoſo tempore coram Deo verſandum ſit, qui nihil æquè ac hypocriſin odit, Cupio Charitatem Chriſtianam, quam alios docui & profeſſus ſum, & ſine quâ apud DEUM opt. Max omnia noſtra nihil ſunt in te tuosque abundantiſſimè declarare. Adeò non eſt ut vel tantillum de meâ erga te benevolentiâ diffidas. Modò Dominus Argentinam porrò, ut hactenus Eccle-

ſias

ſiæ ſuæ hoſpitium eſſe velit, quod tu à Domino noſtro Jesu Chriſto ardentiſſimus precibus contendere velis, ut vel una ſaltem in his Germaniæ ſuperioris partibus candela ardens, unde reliquæ extinctæ aliquando accendi poſſint, remaneat. Amen. Hæc candidiſſime frater, ad literas tuas reſpondere volui. Quæ tu boni æquiq; conſules. Eandem quoque charitatem, quam à me meritò expectas, tibi adſcribo nomine reliquorum fratrum, maximè Domini D. Marbachi, & D. Buzeri qui tibi viciſſim multam exoptant ſalutem. Plura de rebus noſtris ex filio audies. Tota mea domus accumulat te tuosque omnes, in primis coſtam tuam dilectiſſimam plurimâ ſalute, quam & ex me officioſiſſimè quopue ſalutabis. Vale quam rectiſſimè in Chriſto unico ſervatore noſtro, qui te à profeſſâ veritate ne latum quidem unguē diſcedere permittat. Tempus eſt probationis fidei, & patientiæ noſtræ, ſimus ergo fortes in Domino, & nihil cedamus Veteratori antiquo: brevi ſine dubio reportaturi immarceſcibilem æternæ gloriæ coronam. Vicit

Chri-

Chriſtus Mundum, & vincet in ſecula. Huic ſit laus & gloria in ſecula ſeculorum AMEN.

Paulus Fagius,

tuus in Chriſto confrater.

Eximio Chriſti ſervo. D. Jacobo Andreæ, Geppingenſis Eccleſiæ verè fido Paſtori.

Salutem & pacem à Domino. Optime frater (neque enim ullam tibi appellationem jucũdiorem eſſe arbitramur.) Summa illa paucorum dierum conjunctio ita nos tibi devinxit, ut quaſi ſempiterna ſit tui apud nos futura memoria, & quocunque pervenimus, illis libenter ſummam illam tuam pietatem, eruditionem, comitatem magno cum noſtrorum omnium fratrum gaudio prædicaverimus. Literas tuas Calvinus & Galaſius libentiſſimè legerunt, ſicut procul dubio ex ipſorum reſponſo brevi intelliges. Libellus tuus à ſolis Germanis eſt perlectus. Nos illum Latinũ factum avidiſſimè expectamus. Rectè conjeciſti non placiturum omnibus, ſed quin tua non ſaltem egregia voluntas bonis

bonis omnibus, ac moderatis ingeniis maximè probetur, de eo verò ambigere non poſſumus. Interim non dubito, quod ad rem ipſam attinet, quin libentiſſimo animo ſis auditurus, quę in contrariam partem præterea dici poſſe videantur, modo illa omnis contentionis & rixæ inſania procul à nobis abſit. Ego quidem tuâ humanitate tuaq; illo candido ac ſimplici verèque Chriſtiano pectore fretus, ubi librum legero, liberè ad te ſcribam ſi quid invenero, quod vel à me, vel à noſtris poſſit deſiderari, ut amplius à te in causâ iſtâ graviſſimâ erudiar, neque dubito, quin hoc meum vel officium vel diſcendi deſiderium ſis in optimam partem accepturus. Quid autem de proximo conventu ſperemus, aut metuamus potius: uno verbo dicemus. Noſtros omnes ita reperimus affectos, ut certò ſciam, nihil jucundius ipſis poſſe nuntiari, ſed non video, qui tam paucis diebus poſſint cogi tot urbes, ut ex communi conſilio Legatus Francofurtum mittatur. Ut ut futurum ſit, nos officio noſtro nō deerimus,

& optima quæque nobis pollicemur, præſertim ſi Dominus Philippus, quod putamus Heidelbergæ fuerit, & quaſi ſequeſter colloquio intervenerit. Utinam eum diem videamus, mi frater, quo det nobis Dominus idem prorſus ſentire,& communibus viribus Chriſti noſtri gloriam adverſus communem hoſtem aſſerere. Certè id magis ſpero futurum, quàm antea unquam. Noſtri omnes tibi plurimam ſalutem dicunt. Dominus Jesus tibi magis ac magis benedicat, optime frater, teq; indies confirmet. Lauſanæ. Calendis Junii 1557.

Guilhelmus Farellus

&

Theodorus Beza, planè tui.

Eximio viro Domino Jacobo Andreæ, D. Theologo, Geppingenſis Eccleſiæ fido Paſtori, fratri & Symmiſtæ Colendiſſimo.

S. Quominus meas & Gallaſii literas per librarios, qui ex nundinis ad vos reverſi ſunt, miſerim, aſſiduis negotiis

tiis imputa, quibus ita tui totos quindecim dies absque ullâ intermiſſione implicitus, ut nihil magis optarem quam ad ſolitum piſtrinum redire. Tubingam libenter veniſſem, unde fuſius ſcribendi data eſſet apud Volmarium ſatietas: niſi veritus eſſem, ne quem ſtrepitum moneret meus adventus, inter veſtros Ubiquiſtas. Mirum enim quantopere homines iſti contra me inſaniant. Nec vero ſanandæ coràm vecordiæ, vel ſedandæ intemperantiæ ulla mihi ratio apparet. Cohiberi forte uno hoc remedio poterunt violenti eorum impetus, ſi ad piam diſceptationem conveniant eruditi ac graves moderatique Doctores. Hoc quia fugitant, cogendi eſſent pro imperio. Nunc dolendum eſt, Principes quoq; ipſos nimium cunctari, ne quid dicam gravius. Reſtat, ut unique DEI auſpiciis conveniant, quibus cordi eſt ſalus Eccleſiæ. Atque hoc nobis agendum eſſe Melanchton prudenter admonet. Ego nullâ in parte officii mei ceſſabo, quin ad redimendam Eccleſiæ pacem modis omnibus enitar. Tu quid

apud Illuſtriſſimum Principem Georgium poſſis, expende. Hæc in ſummâ feſtinaſtione breviter ſcripſi. Itaq; Hagenio noſtro excuſa, quod nullas à me literas recipiet, eumque diligenter ſaluta. Vale eximiæ Vir, & mihi ex animo colendæ frater. Dominus, tibi ſemper adſit, te gubernet. ac benedicat. Argent. penult. Septembr. Anno 1556.

Ioannes Calvinus tuus.

Eximio pietate & doctrinâ viro. Dn Jacobo Andreæ, S. Theologiæ Doctori, fratri & Symmiſtæ Colendo.

Salutem. Etſi mihi poſtremæ tuæ literæ, ornatiſſime Vir, uberem ſcribendi materiam dederant, hactenus tamen abſtinui, quod malebam, de his rebus tecum familiariter diſſerere. Et cum de conventu ſparſi eſſent rumores, ſperabam tunc nobis fore commodum ultro citroque afferre, quod ad dirimendam controverſiam ſufficeret. Nunc vereor, ne ſpes illa evanuerit, quia nec quicquam auditur & reſponſio veſtra Papiſtis oblata Wormatiæ videtur datâ operâ

rà

râ clauſiſſe januam. Nam ſi ad placidam collocutionem, & mutuum conſenſum propenſi fuiſſent animi, parcendum fuit Helveticis Eccleſiis, ne ſub ZWinglii nomine putarent, veſtro præjudicio damnatas. Certè non absq; Sathanæ artificio alienati prorſus à Concordiâ fuerunt, qui alioqui plus erant ſatis difficiles. Nec ſatis prudenter Philippus hoc extorqueri paſſus eſt: quod Tigurinos eorumq; vicinos non ſecus exacerbavit, quàm ſi novum bellum indictum foret. Si excipias Papiſtarum calumniis non aliter potuiſſe occurri: eas certè ad breve tempus contemnere præſtabat, quam renovare exitiale illud diſſidium, cujus tollendi ratio modis omnibus quærenda erat. Nunc apparet nimium pleriſque otii & tranquillitatis Curam eſſe, & videtur Auguſtana Confeſſio quoddam eſſe umbraculum, quod molles ac delicatas ab æſtu protegat. Pace nihil optabilius eſſe fateor, ſed quæ non obſcuret ſanam doctrinā, vel Chriſti membra laceret. Itaque nova contentionum ſemina jacta eſſe vi-

 dens,

dens, non parum animo crucior. Porrò ſi conveniendi erepta eſt occaſio (quod nondum perſuadere mihi velim) ubi ocium nactus fuero liberè & fraternè, quid in tuâ doctrinâ deſideremus, exponam. Et quæ te impediunt, diſcutere conabor. Interna fratrum noſtrorum cauſam pro quâ iterum deprecatores ad Illuſtriſſimum Principem profecti ſunt, Budæus, & Beza, tibi ſic commendo, ut confidam non minus juvandæ ſtudium tibi fore, quàm nobis eſt. Quàm neceſſaria ſit legatio quæ ſemel conceſſa fuerat, ex eorum ſermone intelligo, atque etiam ut Aulicâ vafritie per quoſdam proditores impedita fuerit; qui utinam ſine publicâ Eccleſiæ ſaltem jacturâ quæſtũ ex mendacio faceret. Quo magis eniti pios omnes decet; ut aliquid levationis ſentiat Eccleſia, quæ non minus duriter affligitur, quàm ſi protinus ad mortem traherentur, quibus vitam non alio conſilio producunt hoſtes, quã uti conficiant quaſi diuturnâ tabe. Optimo fratri noſtro & Symmiſtæ Bartholomæo Hagenio multam ſalutem

precor

precor; Vale ornatiſſime Vir, & mihi obſervande frater. Deus te ſemper tueatur, gubernet, donisque ſuis locupletet. Glinevæ. 8. Cal Martii: 1558.

Ioannes Calvinus Tuus.

Eruditiſſimo ac Pio viro. D. M. Jacobo Andreæ. SS. Evangelii præconi ſynceriſſimo, Domino & amico ſuo veteri.

Salutem plurimam. Seculum eſt, ſuaviſſime Andreæ, cum nihil ad me literarum dederis. Nam quæſo te, meminiſtine, quando ullas ad me perſcripſeris? At, inquis, tu idem facis! Nam & Andreæ quando tandem quicquam ſcriptionis ab Alexandro? Fateor, atqui ego ſum occupatiſſimus, adeoque ut reſpirandi ſpatium juſtum me herente ſæpe deſint. Neſcis ah neſcis, mi Jacobe quantus ſim obrutus laboribus hoc tempore maximè, cum ſimus tribus tantum συμπράττορσι ſtipatus. Nam & ipſi συμπράττορες μεγάλα πράγματα παρεχουσίμοι ut ſæpe non tam ſtipatoribus ſim adjutus, quàm ipſiſſimis impedi-

mentis obrutus. Ludus longè verius olim dicebatur ſchola noſtra, quàm hodie, niſi forte propterea quod de meo ludatur corio, hac ratione patiar etiamnum lutum dici, hoc eſt priſtinum & carnificinam quandam. Sed quorſum ſe prorepit ille? Parce mihi, jam ad rem redeo, ſic habet: videor mihi quibuſdam moleſtiis levatus, cum eas tanquam in amiciſſimi hominis ſinum depono. Rogo igitur, ne me poſthac tam diu tuis ſuaviſſimis literis privatum patiare quibus profectò non ſecus, quam dulciſſimo quodam ſaccaro ſoleo recreari. Ego quoque ne ingratum putes, paria faciã, utcunque ſim occupatus, ſi non interdiu, noctu tamen tantum ſpatii ſumam, ut tibi ſatisfacere queam. Sed ſpero non opus eſſe calcaribus homini erga ſuos ſemper officioſiſſimo. Vale igitur quam optumè cum Vxore & liberulis tuis: quibus omnibus annum precor feliciſſimum 16. Januar. Anno. 1551.

tuus

Alexander Marcoleon.

Reve-

Digitized by Google

Reverendo & Clariſſimo Viro Pietate & Doctrina præſtantiſſimo: M. Andreæ Buchenio Eccleſiæ Lubeccenſis: Paſtori & ſuperintendenti fideliſſimo, Domino amico & fratri honorando.

Salutem in Chriſto. Cùm mihi, vir ornatiſſime, certus ſe nuntius offerret, non potui intermittere, quin breves has ad te darem literas. Non modò enim ex tuis literis, verùm etiam aliorum amicorum intellexi, vos de communi concordiæ negotio valde ſollicitos eſſe, ne fortè malorum hominum arte & aſtutiâ non modò extrahatur diutius, verùm etiam poſt longam, moram concidat. Et ſanè ejusmodi ingeniorum, ſtudiorum & voluntatum non eſt numerus. Usque adeò paſſim in aulis Principum ſacramentarius ſpiritus eorum animos occupavit, quos nos adjutores, & tanquam mamillas habere oportebat, quibus Eccleſia Domini lactetur. Et hoc præcipuè debemus illis, qui putant omnem eruditionem in Germaniâ exulare, nec ad conſilium adhibendum, qui non prius Italicam, Gallicam,

Digitized by Google

Hiſpanicam PIETATEM addidiciſſet, quos videmus non modò ſcabiem Italicam in cute, ſed peſtilentiam quoque, hoc eſt, Sacramentariorum impia & ſeditioſæ dogmata continere. Spero autem, imò oro, ut Germani avitæ virtutis memores, hâc peſte admoniti operā dent, ſi qui ſunt adhuc ſynceræ Doctrinæ addicti, ut liberos ſuos in Germaniâ & iis in locis inſtitui curent, ubi cum honeſtate publicâ, quæ apud exteras gentes verè cum pietate exulat, etiam doctrinam Religionis ſynceræ, & incorruptæ hauriant, ne quovis vento falſorum Doctorum nunc huc, nunc illuc impellantur. Hoc dum ego in tertium annum, quâ poſſum fide, ſtudio, ac diligentiâ ago: totus exercitus infernalis per ſua membra ſe ſe mihi opponit. Et niſi obſtaret optimi Principis Electoris Saxoniæ, veri Herois virtus, robur, & Conſtantia ſingularis jam pridem concidiſſent omnia. Quæ me quoque erigit, ut neglectis omnibus etiam vitâ meâ, quæ nunc in præcipitio poſita eſt, nihil eorum intermittam, quæ ad in-

ſtau-

Digitized by Google

ſtaurandam, conſervandam, & propagandam ſynceram & incorruptam doctrinam Eccleſiarum noſtrarum faciũt. Cum hoſtibus mihi acerbiſſima pugna fuit per biennium; ſed cum amicis ſimulatis nunc majus bellum eſt, & periculoſius. Sed in hoc quoque Dominus triumphum cum victoria dedit, & dabit porrò quoque, de quo minimè dubito. Dici enim non poteſt, quibus fraudibus Sathanæ membra, quæ expulſis Sacramentariis favent, in hoc laborent, ut qui hactenus noſtri fuerunt, ad ſe pertrahant, ut maximè nihil hîc moliri auſint, ſuo tempore tandem vel illorum operâ uti, vel abuti poſſint. Quapropter eò ardentius pro me orabis. Ego enim non modo valetutinem, ſed propemodum vitam meam impendi, ne intempeſtivè recedens hoſtibus veritatis triumphum; amicis verò dolorem relinquam. Et ipſe cogitare potes, non tàm brevi tempore expurgari poſſe, quod ſtatim poſt mortem Lutheri, imò ipſo etiam vivo, Sathan per illud MALUM his terris ſeminavit cujus Authoritas

 adhuc

Digitized by Google

adhuc apud pleroſque SacroS. eſt: ut qui contra dixerint, eos etiam hoſtes habeat: qui veritatis patroni præcipui haberi voluerunt. Hæ ſunt delitiæ, in quibus verſor in quibus poſt DEUM ſolius Electoris pietas & conſtantia mihi adeſt cum paucis noſtri ordinis hominibus. (nam reliquorum ordinum, præter unũ atque alterum mihi ignoti ſunt.) Quod ad editionem libri Concordiæ attinet, jubeo vos eſſe ſecuro & otioſo animo, cùm quoad liberi integritatem, tùm & publicationis maturationem. Syllaba non mutabitur in libro, & editio parabitur, præter expectationem veſtram & opinionem hoſtium veritatis: pro quo Deo gratias eſtis acturi. Maluiſſem pro meâ perſonâ ante biennium typis excuſum: ſic enim ego multis à Pasquillis & fumoſis ſcriptis fuiſſem liberatus. Sed nec potuit nec debuit fieri, quod coràm rectius ſermone, quàm ſcripto exponere potuiſſem. Sed rectè omnia: & dimiſſa ſunt tela hoſtium omnium Contra hunc librum tùm publica tùm privata: quæ cum omnia in præfationibus ſint

refu-

refutata, poſthac minus ferient & lædere poterunt. De quâ re brevi ad vos Doctor Chemnicius, cui coram in proximo conventu exponam omnia, quæ ad te perſcribat. Ego certus ſum filium Dei mihi in hoc negotio integritatis teſtimonium perhibiturum: ut qui pacem cum veritatis jactura MINIMA nunquam quæſiverim; ſed ſufficit mihi lætus negotii exitus, cum quo fortaſſis & ipſe experibo, ſi tamen tam diu virus duraverint, donec tandem omnibus innoteſcat, in quo jam ad decennium laboratum eſt: Tantæ molis erat, Eccleſiæ piam & Sanctam Pacem cum perpetuo veritatis teſtimonio redimere. Benè & feliciter vale. Annæburgi. 27. decembr. Anno 1579.

Tuus frater
Iacobus Andreæ.

Reverendis, Conſultiſſimis, & experientiſſimis Viris. D. Doct. Jacobi Andreæ p. def. filiis & generis, cognatis, affinibus, & fratribus ſuis dilectiſſimis.

S. & Conſolationem firmam à vero paracleto Sp. S. quo confirmati ſumus

in ſpem filiorum DEI ad ſalutem æternam. Rerendi, ampliſſimi, clariſſimi, atque doctiſſimi viri, cognati, affines, amici & fratres in Chriſto honorandi & dilecti. Heſternâ die circa horam undecimam in ipſo prandio allatum eſt mihi triſte nuntium, de obitu ſummi noſtrâ ætate Theologi, Patris & ſoceri veſtri D.D. Jacobi Andreæ, felicis & beatæ recordationis. Ego nuntio quantopere fuerim perturbatus, verbis exprimere non poſſum. DEUM ſolum veri & ſynceri mei luctus conſcium, & lachrymas occultas ejus teſtes eſſe cupio. Ut enim pòſt parentem non habeo, cui ab ineunte ætate conjunctior vixerim, & à quo majora amoris & benevolentiæ teſtimonia ſemper acceperim: ita acerbiorem luctum à multis annis me non ſenſiſſe fateor, non aliter, ac ſi magna portio de corde meo violenter decerpta eſſet. Quanquam non tantopere dolerem privatim meâ causâ, quantopere publicè ob Eccleſiam Chriſti. Video enim non tantum noſtram cognationẽ capite; ſed & Illuſtriſſimam Academiã

Tubin-

Tubingenſem prudenti gubernatore; ejuſdem Eccleſiam fide Doctore; dulciſsimam patriã noſtram, agrum Würtembergenſem ſingulari ornamento; & univerſam rectè ſentientem Ecleſiam firmâ columnâ orbatam eſſe. Quis enim à multis annis ſæpius cum quibusvis ſynceræ noſtræ confeſsionis hoſtibus, papiſtis, Calvinianis, & aliis fanaticis congreſſus eſt? Quis conſtantius omnem impetum ſuſtinuit? quis animoſius eos repulit? quis glorioſius victoriã de ipſis reportavit, quàm is ipſe? Non puto eſſe ditionem ullam in universâ Germaniâ, ad quam non fructus aliquis ipſius laborum, vigiliarum, peregrinationum, reformationum, diſputationum, concionum, conſiliorum, redundarit. Nec dubium eſt mihi, multos ipſum vivum odio proſequutos eſſe, qui nunc mortuum ſint deploraturi, vel demum agnoſcentes quantum virum, terrorem Pontificiorum, ſudem in oculis Calvinianorum, amiſerimus.

Sed ſic fieri ſolet, ut nos homines, bona noſtra non agnoſcamus, donec quæ in

anni-

manibus habuimus, amiſimus. Teſtis eſſe poſſum, & futurus ſum non tantum hoc Mundo, ſed & coram tribunali Chriſti, quantâ fide & ſolicitudine immenſis cum laboribus in Miſnia id unicè quæſierit, ut cum ſyncerâ & purâ Religionis Chriſtianæ confeſſione, conveniens & concinna inter omnes ordines Eccleſiæ harmonia & conſtitutio vigeret. Sed Mundus illam ipſius fidem non tantum non agnovit: verùm etiam eam gratiam repoſuit, quam omnes à Mundo exoptare debemus, ne hîc præmium noſtrum recipientes, privemur, copiosâ illâ mercede, quæ fidelibus Chriſti ſervis in cœlo repoſita eſt. Sed quid facio? Non inſtitui hîc encomium illius tanti viri, qui absque dubio ampliſſimos fidei ſuæ, ſuorumque laborum apud vos habiturus eſt præcones. Tantum paucis meam *συμπάθειαν* in hoc communi luctu, quem non propius vos, quam me attingere ſtatuo, ſignificare volui. Lætabuntur nunc non tantum aperti & manifeſti hoſtes, Pontificii atque Calviniani, ſed & falſi fratres, cum tandem eſſe

mor-

Digitized by Google

mortuum, qui πολλῶν ἀντάξιος ἄλλων, vel ſolus multorum impetus ſuſtinere & retundere potuiſſet, & ſperabunt, jam ſe eò facilius victoriam de puſillo Chriſti grege reportare poſſe. Verùm utut ex animo dolemus, hunc fidelem athletam in exercitu Eccleſiæ militantis cecidiſſe: tamen ſimul nos ſolatur illud, quod ſcimus etiamnum ſuper omnia vivere Invictiſſimum noſtrum Imperatorem Chriſtum, qui ex unius demortui pulveribus plures excitare poteſt, qui non minori ſpiritu & alacritate, & ſi non majori dexteritate, vel ſaltem pari felicitate, pravis ipſorum conatibus, & machinationibus reſiſtere poſſunt. Hoc enim eſt fœtus meum cum eis, dicit Dominus; Spiritus meus qui eſt in te, & verba mea quæ poſui in orte tuo, non recedent de ore tuo, & de ore ſeminis tui, dicit Dominus à modò & usque in ſempiternum. Fortaſſis multorum invidia jam morte ipſius erit exaturata, & quem vivum tolerare non potuerunt, ei mortuo parcent cum non ſit, quod ex ipſo amplius metuant. Quod ſi vero ne

ſic

ſic quidem aliquorum malitia conquieſcere poteſt. prodeant ſanè, prodeant, quicunque voluerint, & undecunque, ſi ipſe ſibi *Apologia* eſſe non poteſt, tot reliquit fidos diſcipulos, ex quibus & ego nomen meum profiteor, qui hujus viri fidem, nomen, famam adverſus ſycophanticos detractores tueri poterunt, ut ſperem, non multum ſuâ importunitate iſtos obtenturos. Interim ipſe placidiſſimè vivit; in omnipotenti ſinu Salvatoris, cujus nomen, honoré, & majeſtaté in hoc Mundo unicè propagare, & propugnare ſtuduit quieſcit, qui ab ipſius oculis omnes lachrymas abſtergit, & immarceſcibili gloriæ coronâ caput ipſius ob conſummatum certamen, & conſervatam fidem exornat. Verè enim in hâc vitâ martyr fuit, dum vixit. Nec ullum Theologum inde à Lutheri temporibus extitiſſe arbitror, qui tantos labores, peregrinationes, odia, invidiam, obtrectationes, & adverſitates, quantos ipſe, ſuſtinuerit. O felicem igitur ipſum, & terq; quaterq; beatum, qui nunc omnibus malis ſuperior

rior

Digitized by Google

rior de illis in æternâ vitâ inter beatos ſupremus triumphat. Hanc gloriam & lætitiam ipſi non invideamus, licet ægerrimè & maximo cum deſiderio ipſius converſatione ad tempus careamus. Ah quoties exoptavi cum ipſo adhuc ſemel in hâc mortali vitâ congredi, ac ſuaviſſimis ac pientiſſimis ipſius colloquiis animum meum recreare? Sed quoniam DEO aliter viſum eſt, mea etiam deſideria, & vota Sanctiſſimæ ipſius voluntati patienter ſubjicio, & hanc recreationem ad longe jucundiorem congreſſum in cælesti Academiâ reſervabo. Ubi Chriſto fidejuſſore ſat certus ſum, me cum ipſo, & cum pluribus aliis optimis meis amicis, quos intra decennium præmiſi, æternis gaudiis fruiturum eſſe. Hæc ſpes me ſuſtentat, & ſolatur. Interim ipſius memoriam in hâc vitâ gratam & ſanctam ſervabo, & propterea majori cum deſiderio aliquando diſſolvi cupiam, ut cum ipſo, & cum aliis coram Chriſto Salvatore æternâ & indiſſolubili cõverſatione frui queam.

Ad vos verò, honorandi & dilecti

Domi-

Digitized by Google

Domini Cognati, affines, & fratres, breviter iſta, hanc ob cauſam ſcribere volui, ut ne cum obitu hujus noſtri communis parentis, noſtrorum quoque animorum cõjunctionem intermori patianimi. Vos ipſi non ignoratis, quàm impensè me omni tempore inſtar filii genuini amaverit. Itaq; ut illum ipſius erga me amorem & favorem ad vos hæreditario jure pervenire patiamini, etiam atque etiam rogo. Poſtulat hoc inſuper arctiſſimum vinculum, & conſanguinitatis, & affinitatis noſtræ admodum propinquæ, quod ne contra naturam diſrumpamus, ſedulò cavendum. Ac licet nullas habeam de veſtrâ erga me optimâ voluntate dubitandi cauſas: tamen quia tàm procul jam vobis, ratione vocationis meæ ſum disjunctus, & ἀπροσηγορία multæ etiam firmæ amicitiæ & familiaritates diſſolvuntur; omninò mei officii eſſe judicavi, de hoc per Epiſtolam vos monere. Quos omnes & ſingulos ſummopere rogatos volo: ut hanc meam ſcriptionem in meliorem partem interpretari, & luctus acerbita-

tem

Digitized by Google

tem, intenſiſſimumque erga piè defunctum amorem, eam mihi expreſſiſſe ſtatuere velint. Æternum patrem, patrem omnis conſolationis & ſpes precor: ut propter Chriſtum S. Suo Spiritu vos omnes cum Conjugibus & liberis efficaciter ſoletur; fideliter cuſtodiat; & in æternum beet. AMEN. BrunsWigæ ſcriptum 30. Jan. Anno 1590.

V. in Domino

Polycarpus Lyſerus. D.

Reverendo & chariſſimo Viro D. Doctori, Lucæ Oſiandro Theologo celeberrimo, Eccleſiaſtæ Stuttgardiano Digniſſimo D. Patri ſuo omni pietate colendo.

Salutem in Domino. Reverende & Clariſſime Domino Doctor, Pater omni pietatis cultu venerande. Cùm nuper domum rediret noſter Doctor Gödelmannus, ex ſuâ profectione, mihi ſignificavit, ſe in agro Würtembergenſi, quem aliquo modo ſtrinxerat, ex multis Paſtoribus Cognoviſſe, quod magno cum deſiderio exoptent publicari tractatus Theologicos, quos excellentiſſimus

mus

mus noſtræ ætatis Theologus, Dominus Doctor Jacobus Andreæ, piæ memoriæ magno numero poſt ſe reliquerit. Aſſervari eos à filiis, à quibus res publica Chriſtiana meritò exigat, & depoſcat. Expetebat itaque, ut ad Ampliſſimum veſtrum Conſiſtorium hoc nomine ſcriberem, apudq; illud inſtarem, quo ſuâ auctoritate filiis ad depromendos hoſce ſui Parentis labores animum adderet, atque opem ferret.

Imò præ ſe ferebat, ſe conſilia agitare, quibus hæc res Illuſtriſſimo Duci Würtembergico Concilietur, tantique Herois auſpicio id negotium omne conficeretur. Ego verò, qui dudum idem optavi, promiſi me hàc de re prius ad te ſcripturum, atque inquiſiturum, quo loco res ſient. Neque enim me ignorare plurima ſcripta, conſilia, & alios tractatus Doctorem Jacobum penes ſe habuiſſe, dubitare autem me utrũ conſultum ſit, ut omnia ſine diſcrimine publicentur. Cum judicio itaque & circumſpectè eſſe agendum, ac proinde dubio

dubio procul non temerè hæc omnia adhuc ſuſpendi,& differri. Cum tamen ſciam multa ex illis ſcriptis,magnâ cum utilitate publicè legi poſſe, volui ad te ſcribere, teque Eccleſiæ nomine rogare,ut cum Filiis ſuperſtitibus agas, quò ob honorem DEI, Eccleſiæ utilitatem & ob Sanctos Patris defuncti manes, iſtas reliquias Laborum ipſius liberaliter cum Eccleſiâ communicent. Habent enim &conſiſtorium veſtrum ampliſſimum, & Reverendum Facultatis Theologicæ Collegium,cujus Cenſuræ & judicio ſubjici poſſunt ſingula, ut cognoſcant,quid evulgandum,quid domi detinendum ſit. Quæſo ad reliqua merita, quibus Eccleſiam in tuo Miniſterio affecti, etiam hoc adjice,ut cures, ne exercitatiſſimi illius Theologi labores nobis denegentur, nec grave ac moleſtum ſit per occaſionem mihi ad hæc reſpondere: ut intelligat Doctor Gôtelmannus negotium hoc mihi curæ fuiſſe: Quod ſupereſt, optamus te cum Matre ac tota familia beatiſſimè vivere, ac valere,atque conjux mea cum liberis

vos

Digitized by Google

vos omnes reverenter ſalutant. Salutem officioſam adſcribo Collegis omnibus. Dabam Dresdæ 4. Octobr. Anno 1596.

T. R. D.

Filius obſequentiſs.

D. Polycarpus Lyſerus.

Copiæ Fürſtlichen Befehls an alle Superintendenten deß Hertzogthumbs Würtemberg.

